

JACOBI PRIMEROSII

Doctoris Medici


D E V U L G I

ERRORIBUS

I N M E D I C I N A

L I B R I . I V.

*Ab Auctore recensiti & plus quam tota
parte aucti.*



ROTERODAMI,

Ex Officina ARNOLDI LEERS

M. DC. LVIII.

mentum , variisque constat simplicibus quæ calor i puerorum vim inferre possunt. Bezaar autem non calet, sed tantum roborat, qualitate occulta, non autem manifesta.

C A P U T X X X V I I I .

De Cornu Unicoris.

VIx dici potest cuinam majores vires aut lapidi Bezoar , aut Cornu Monocerotis vulgus attribuat , maxima enim omnium Alexipharmacæ hæc esse censentur , quamvis cornu hoc lapide bezoardico minus vulgare sit. Plurimi tamen satis magna illius frusta se habere jactant. Sed dubitatur à multis non sine magna ratione , an ejusmodi cornu reputatur. Esse quidem varia animalium genera , quæ unicum tantum in capite cornu gerunt , tum veterum , tum recentiorum scriptoribus testantur. Quatuor autem ex Aristotele , Aliano , & Plinio recensentur ; Ab Aristotele quidem tantum oryx , & asinus Indicus , sed ib aliis additur rhinoceros , & qui proprio nomine dicitur monoceros , de quo hic possimum agimus. Sed quid propriè sit hic nonoceros nondum satis liquet , cum haec eius navigationibus Indicis nondum potuerit certò explorari. Et qui ejusmodi animal e vidisse referunt , tam parum consentiunt in illius descriptione , ut fabulæ fermè videantur

456 De Vulgi Erroribus
tur quæcunque illi referunt. *Plinius* & *Solinus* qui nunquam viderunt ejusmodi animal, ita tamen describunt, haud dubiè ex aliorum sententia. Describit Plinius, *asper-*
rimam feram monocerem, *reliquo corpore*
equo similem, *capite cervo*, *pedibus elephante*,
cauda apro, *mugitu gravi*, *uno cornu nigra*,
media fronte, *cubitorum duum eminentem*,
banc feram vivam negant capi. Solinus au-
tem c. 60. sic describit. Sed atrocissimum est
monstrum monoceros mugitu horrendo, *equino*
corpore, *elephantinis pedibus*, *cauda fusilla*,
capite cervino, *cornu è media ejus fronte pro-*
tenditur, *splendore mirifico ad longitudinem*
pedum quatuor, *ita aenatum*, *ut quisquid ins-*
petat, *facile istu ejus perforetur*. *Vivus non*
venit in hominum potestatem, & *interimi*
quidens potest, *capi non potest*. Sed Ludovi-
cus Vartmannus, scriptor ingenuus, duos in
peregrinatione suâ se vidisse refert, sicut re-
censet *Scaliger exercit.* 205. *Unicornibus*,
inquit, *equi magnitudo*, *crura*, *pedes*, *caput*
cervi, *pili color balius*, *equi juba rarius*, *bre-*
vior, *coxæ villosæ*, *cornu unum integrum*
Nicæ videmus, *alia alibi subfulvum unum*,
unum subluteum accedens maximè ad bu-
xum, *unum suppuriceum*, *habemus etiam*
frustum candidum. Et hic à Pliniana descrip-
tione discrepat, nam mitem, minimeque fe-
rocem esse ait, *pedes & crura cervi ipsi attri-*
buit.

uit. Plinius autem pedes elephanti, & in
lescriptionibus suis alii alia addunt. Fatetur
amea *Amatus Lusitanus Enarr. 52.* Inli-
rum secundum *Dioscoridis*, Medicos Lusi-
anos, & alios qui interiora Indiæ penetrâ-
unt, de ejusmodi animali nihil referre, nisi
quod in maximo pretio sit apud Indos ad-
versus venena, & febres pestilentes. Monet
autem *Idem Amatus* verum cornu esse co-
oris subnigri, aut saltem subcineritii. Item
nimis vetus esse invalidum, sicut & in aliis
medicamentis contingit; Item plura esse
idulterata ex calce, & aliis rebus ad formam
cornu efficta, alios verò balænæ os pro eo
rendere, audivi etiam & equi marini, & Ele-
phantorum dentes pro eo fuisse suppositos.
Hæc quidem videntur in dubium revocare
ejusmodi cornua. Sed dicet quispiam, sacram
scripturam variis in locis meminisse istius
animalis tanquam ferociissimi. Sed forsitan igno-
tum est propriè nomen illud quod inter-
pretes unicornu transtulerunt: nam, ut ad-
vertit Morinus Blesensis, oratorii Presbyter
doctissimus, fatentur Judæi se ignorare no-
mina plurimarum avium, quarum meminit
Moses in Levitico, quid ni pariter fieri po-
test ut nomen istud ignotum sit, quod tamen
unicornu Interpres transtulit, & forsitan aut
Asinum Indicum, aut Rhinocerata, aut in
genere quamlibet unicornem feram signifi-

cat. Rhinocerotem quidem non fuisse verisimile est, est enim fera hæc bicornis potius quam unicornis, fera minime agilis, sed pigra, cuius cornu etiam brevissimum est, cum tantum quæ circumferuntur Monocerotis cornua, ut plurimum sint valde longa; atque ab eo animali extracta, quod agile admodum scriptura prædicat, unde Cardanum reprehendit Scaliger, qui monocerota sub Rhinocerotis nomine descripsérat, cuius picturam se vidisse refert idem Scaliger; illius scilicet cuius cadaver ejectum est in Tyrrenum littus, capite fusillo, tergore scutulato, cornu gemino, altero pusillo in fronte, altero in nare robustissimo, quo audacissime pugnat
Et vincit Elephantum. Videturque esse hæc eadem fera cuius meminit Amatus Lusitanus, quam Emmanuel Rex Lusitanæ Romanam mittebat, sed naufragio prope Massiliam amissa navis, in mari fera periit, cuius corium ad Franciscum Regem Galliarum, accolæ attulere. Sed an sub nomine Monocerotis Afinus Indicus intelligi debeat, forsitan foret dubium, nisi utrumque distinxisset Ælianus. Propterea non asserto monocerotem animal esse fictitium, sed valde rarum est, nondumque certò cognitum. Sed præterea etiam Cæsar libro 6. de bello Gallico, meminit Bovis unicornis, suntque etiam tales apud Indos ut volunt Historiographi.

Nec

Nec tantum terra, sed etiam aqua sua habet monstra unicornia, quæ forsitan amphibia sunt, ut refert Garcias ab Horto, de quodam monstro amphibio circa Promontorium bonæ spei, quod unicum cornu in fronte habet, quo adversus Elephantem ferociter pugnat, sed etiam ex Borealibus regionibus, ut ex Islandia & Groenlandia afferuntur cornua, quæ unicornium marinorum esse dicuntur. Fuerunt ante annos non ita multos in hanc urbem Hullam, in qua hæc describo, allata ex Groenlandia animalium marinorum unicornium capita duo in littore reperta, cum cornibus in fronte maximis, quorum particulas quasdam vidi. Ex quibus patet plura esse animalia tam terrestria quam aquatica unicornia. Sed præterea meminit recentior quidam Scriptor, Daniel Sennertus libro 5. sue naturalis Philosophiæ, cornu cuiusdam fossilis, quod in Thuringia, Bohemia aliisque Germaniæ locis invenitur, quod etiam pro monocerotis cornu habetur, cui etiam vim tribuit adversus Epilepsiam; & morbos malignos, & à genuino distinguere docet, quod verum sit admodum durum, at fossile durum non est, sed facile frangitur, teritur, & linguæ admodum adhærescit, instar terræ sigillatæ, aut alicujus margæ. Ejusdem quoque meminerunt Gesnerius, Fallopius, Agricola, aliique rerum mineralium scripto-

res. Cum igitur varia sint Unicornium genera, vires tamen aduersus venena omnibus non competitunt. Ctesias Asinos inquit silvestres habet India equis pares, quosdam & maiores, quibus caput purpureum, oculi cerulei, reliquum corpus est album; Cornu illis in fronte cubitalis magnitudinis, cuius inferior versus frontem pars duarum palmarum spatio sit candidissima, at superior quæ in acutum tendit, punicea fit, summum ruborem adjunctum habens, pars autem medieæ sit nigra. Ex his pocula conficiuntur e quibus qui bibunt, nec spasmo, nec sacro morbo corripiuntur: Sed nec venena ullam in eos vim habent, si modo vel antequam illa hauriunt, vel postquam hauserint aquam, aut vinum, aut aliud quippiam ex illis poculis bibant. Et Ælianuſ qui describit monoce-rota, vim tamen alexiteriam nullam illi attribuit, sed tantum Asino Indico, scribit enim potentiores apud Indos ex cornubus his bibere solere, atque ex hoc cornu bibentem ab insanabilibus morbis tutum fieri, neque convulsionibus corripi: neque sacro morbo, neque venenis ullis ferunt. Quin etiam si quid pestilens biberit, tum id vomere, tum ad sanitatem redire. Idemque scribit Philostratus in vita Apollonii Thyanei, lib. 3. Sed Cornu asini Indici rarissimum est, superius inquit Ælianuſ, est puniceum, inferius al-
bum,

bum, medium verò nigrum, at cornu monocerotis ex eodem Ælianó est nigrum. Ambrosius Paræus aliquique præstantissimi Medici nullum istius Cornu effectum invenere, minusque probat consuetudinem illam impoñendi regiæ pateræ frustulum cornu Monocerotis, quām audio sustulisse illum qui primarius Regis Galliarum Medicus erat cum hæc scriberem. Sed & pariter Cornu equi Indici vim adversus venena tribuit Ælianus, idemque refert de cornu Rhinocerotis Garcias ab Horto, estque breve, validissimum, nigrum, ab aliis dicitur intus obscurè flavescente, & lingua madefactum exhibere odor in exustæ cujusdam materiæ. Refert quoque Garcias de monstro suo Amphibio equi formam referente juxta promontorium bonæ spei, cuius cornu adversus venena laudari, facto in duobus canibus experimento, quorum alter cui dupla quantitate propinatum erat venenum, sumpto hujus cornu pulvere convaluit. Alius verò cui non datus fuit, statim mortuus est, et si minori quantitate venenum ipsi fuisset exhibitum. Sic pariter quæ ex Borealibus regionibus afferuntur cornua, & quæ fossilia sunt, non exiguum adversus venena vim habere dicuntur, quamvis etiam id quidam negent, suntque ut plurimum hæc cornua quæ plurimi pro Monocerotis cornu ostendunt, quamvis color non

V 3 respon-

respondeat, qui in vero Monocerote niger est. Sed fossilia omnes qui de iis scripserunt, Praefrerunt, ut Gesnerus, Cæsalpinus, aliqui, Vim enim habent alexipharmacam, & sudores potenter movent, instar terræ Lemniz. Igitur ut caput istud concludam, cum ejusmodi medicamentorum vires sola experientia cognoscantur, facile erit cuilibet qui ejusmodi cornuum frustula aut habet, aut experiri cupit, vel catulo, vel pullo venenum exhibere, qui si hujus pulveris attemptatione liberetur, optimum hoc medicamentum servabit. Quamvis enim ignorentur animalia ex quibus eruuntur, non deneganda tamen est virtus horum cornuum, cum omnium exotericorum origo nondum plenè innotuerit. Si cornu cervi probamus, cur facultas eadem reliquis cornibus adimetitur, imò volunt quidam omnibus cornibus, etiam Boum, vita adesse quandam salutarem, ideo ex cornibus bibebant veteres, unde deductum nomen *xpætæ*, *xpætæp*. Cum igitur quæ circumferuntur cornua, varia sint colore, magnitudine, & figura, à diversis prodire animalibus verisimile est. Sive igitur cornu sit aut Asini Indici, quod Aelianus comprobat, sive Rhinocerotis, sive animalis cuiuspiam aquatice, periinde est, dummodo vires experientiae respondeant. Non igitur morusc inquirerem, sintne Monocerotis, aut alterius

terius animalis cornua, dummodo bona sint,
 & efficacia: imò quoque parum refert sitne
 animal bicorne, vel unicorn. Certissimum
 tamen est, ut supra diximus & elephantorum
 dentes, & ossa balænarum, & equi marini
 dentes, & adusta cœmmunia cornua, & fossi-
 lia quæ diximus, atque alia factitia pro vero
Monocerotis cornu venditari sœpissimè. Vult
 Cardanus Elephantum ossa ita arte sequacia
 reddi posse, ut instar cornuū extendi queant,
 & sic pro unicornu exponantur. *Nec aures,*
inquit Amatus Lusitanus, præbeatis illis, qui
cum cornu unicornis probare nieuntur, si
equam ramentum, aut scobem infundunt,
quam illicò sudare, aut in ebullitionem ve-
nire dictitant, quum illud ex quacunque ossis
scobe in aqua infusa evenire percipere possit,
ut in ebore experiri poseritis. Pariter adver-
 tendum est, non esse fidendum aliis ejusmo-
 di experimentis, quibus utuntur quidam ad
 probandam bonitatem cornu **Monocerotis**.
 dicunt enim præsente veneno aut venenato
 animali sudare, quasi à veneno pateretur, tum
 circulum jubent fieri ex ejus pulvere, in cu-
 jus medio, aut in cornu excavato araneam
 imponunt, quæ si transiliat, fictum esse cor-
 nu volunt, si autem crepat, & moriatur, ge-
 nnuinum: quæ omnia sunt falsa. Et de his
 satis.

stillatæ, quibus in qualibet febre intermit-
tente statim uti volunt, sape cum ægrotan-
tium pernicie. *Primo* igitur notandum est,
intermittentes febres à variis humoribus
concitari, calidis, & frigidis, quibus non
potest unum idemque remedium; quolibet
tempore commode administrari. *Secundò*
cum unumquodque contrario suo curetur,
certum est usu ejusmodi calidorum remediorum
inflammari, & augeri humores biliosos,
sic potest febris ex intermittente fieri conti-
nua. *Tertiò* febris intermittentis causa sæ-
piissimè latet in mesenterio, panceate, aliisque
primis viis; quam subtrahit usu medi-
camentorum istorum deducere in habitum
corporis est nimium periculosum, ne vena-
rum sanguis inquinetur, maximè in biliosis
febribus, quarum causa ut plurimum tenuis
est, & facilè mobilis. *Quarto* Galenus vetat
in quartana febre quam humor melancholi-
cus frigidus siccusque parit, usum velenien-
tiorum & calidiorum in principio, refert-
que historiam Eudemii Philosophi, qui cum
intempestivè usus fuisset theriaca ad quarta-
nam febrem, ex simplici facta est duplex,
quem tamen Galenus eodem remedio tem-
pestivè exhibito curavit. Conveniunt igitur
ejusmodi calida tantum in febribus iis quas
humores frigidi procreant, aut in tertiana
potha, in quâ humoris pituitosi cum bilioso

V 5 magna

magna adest codia , aut quando obstructio-
nes sunt maximæ & contumaces , viscera
valde imbecilla , & labefactata , sed non ante
humoris coctionem ; sic præscribit Galenus
ad quartanam medicamentum ex succo cy-
renaico , sed tantum post humoris coctionem . Sic absinthium in febre tertiana com-
mendat , sed ante coctionem improbat . Pa-
riter eadem ratione rejiciendæ sunt ejusmodi
aquæ calidæ , sed post coctionem humoris
morbifici in malo contumaci utiles esse pos-
sunt . Propterea non sunt temerè ejusmodi
calida in febribus exhibenda , nam qui teme-
re illis usus erat in febre quartana , ex simpli-
ci duplcam fecit , ut prius diximus . Vereq-
uem pariter ne ex hujusmodi aquarum usu
idem contingat . Ideo adhibetur semper in
consilium Medicus prudens , doctus & fide-
lis , qui tempora omnibus remediis destinet .
Nec temere confidat populus suis , ut vo-
cant , receptis : sunt enim & manus Dei ,
quando à perito Medico administrantur , &
quasi gladius in manu furiosi , quando ius
utitur qui Medicinam probè non novit .

C A P U T X L.

Julepos, aliosque refrigerantes potus in febrisbus magna dosi effe exhibendos.

Observevi saepe quando apozemata, Julepos, aliosve potus refrigerantes Medicis febricitantibus prescribunt, solere ab adstantibus exigua tantum dosi exhiberi, ad duo triave cochlearia. Sed hic notandum est ejusmodi remedia, quae ad humores preparandos exhibentur non esse de natura eorum quae in minima dosi vires possident maximas, sed contraria cum agant qualitatibus primis, & secundis, nisi in quantitate proportio adfuerit inter humorum alterandum, & medicamentum, frustra illud prescribi, si quidem si non superant humorum, ab ipso superantur, & corrumpuntur. In febre ardentissima si praedicti julepi aut denegentur, aut parcus exhibeantur, corpus a calore febrili exsiccatur, & arescit unde non parum damni ægrotantibus imminet. Talibus ergo laborantibus copiosius & sèpius præberi debent, ad calorem febrilem temperandum, naturam recreandam, coque audacius si contio præcessit, naturales enim vacuationes criticas per sudorem, alvum vomitumq; adjuvat, unde etiā Galenus in hoc casu aquam frigidam præbet usque ad satietatem, quan-

V 6 tūm

tum scilicet ægro bibere libuerit; Avicenna vero donec æger fiat viridis, & rigeat. In principio tamen paroxysmorum in febribus intermittentibus, nihil sumendum censent post Hippocratem Medici præstantissimi, nam Hippoc. 1. acut. *Cum frigidi pedes fuerint, a sorbitione exhibenda, tum maximè à potu abstinendum, sed cum calor ad pedes descenderit, tum dare convenit,* tunc enim calor qui in principio ab humore morbifico quasi suffocatus erat, habet ἔκλαυψη & in universum corpus diffunditur, frigidique potus occursum commodius ferre potest, immo tunc potus vacuationem per sudorem in fine paroxysmi fieri solitam promovet. Hollerius lib. 2. cap. de siti paucis verbis totum id explicat. *Non permittendum est, inquit, ut diutius sitiant, maximè in febribus, atque ubi siccitas est.* Quin & in declinatione cogendi sunt ut bibant in accessio-
nis principio & augmento potus prohibendus, ne veluti in fornacibus fabrorum suffusa aqua, aut alsoquore febris calor vehemen-
tius incendatur. In vigore collusionibus
utendum & gargarismis, qui ubs encinat,
& vehementer sitiunt, largiter ac confertim
bibendum, quantum videlicet haurire pos-
sint, sic enim fit ut subito motu & contrarie-
tate potus excitatus calor foras dispergit.
Recte quoque scribit Mercurialis comm. ad
aphor.

aphor. 9. lib. 2. Plerique putant sicut esse si
syraps vocari ad summum sex unciarum pon-
dere sumantur, verum ipse Et ratione Et ex-
perientia didici, prastare semper si Et syrups
in majori mensura capiantur, pro capere tam-
en. Et proprietate agis, Et in ipsorum usu
curiosus pergitur. Sic enim vasa humidiora
reddita, attractioni humorum melius obse-
quentur. Et ipsum et humores magis prepara-
ti faciliter exent. Scio quidem Aristotelem
1. Problem. 57. querere, cur febricitantibus
potio paulatim, & sape danda sit. Quia in-
quit, potio exigua & sape data illabitur, &
sese magis insinuat, quam larga confertim
irruens. Verum vult hoc loco Philosophus
frequentiam potus magnæ illius copiæ se-
mel datæ respondere, alias Hippocrates
aquam parce potam bilescere scribit, & li-
bro de locis in homine, in febribus inquit
exhibenda calida, aqua mulsa, & acetum
cum aqua, eaque quamplurima propinanda.
Sed præterea julepi, de quibus agimus, non
sunt simplex potus, sed etiam medicam vim
habent, aperientem, roborantem, aliamve,
pro Medici præscribentis varia intentione.
Tantum igitur propinandum, quantum ad
coctionem & situm extinguendam conferre
potest, non tamen ad morborum causas au-
gendas, quam in re maximè errant illi, qui vel
parciori potu ægrotantes enecant, quod

Galenus variis in locis in libris *Epidem.* in Medicis sui temporis improbavit , aut nimia humiditate corpus gravant , humoresque accumulant. Scribit *Galenus* i. *acutior.* 43. si aqua ad sitim sedandam exhibeat , tantum ejus sumendum , quantum unica inspiratione æger haurire potest , si ad extinguedum calorem , ad ægrotantis satietatem , ut etiam ait 9. methodi 8. idque confertim , ut pleniùs docet *Amatus Lusitanus* , *curat.* 11. centur. prima. Sic Gal. 10. meth. Juvenie irâ febricitanti , sub caniculæ fervoribus , heminas duas aquæ in prima accessione dedit.

C A P U T X L I.

Calculum Vesicæ remedio ore sumptis non posse dissolvi.

Illud etiam indicandum est illis quos gravissimus ille affectus vesicæ calculus torquet , ne quamplurimis qui multa pollicentur facile credant. Scio enim non tantum circulatores , sed etiam Medicos quosdam ad calculum vesicæ frangendum remedia non pauca præscribere. Et sanè *Monardes* , *Augenius* , aliquique calculum vesicæ sanatum referunt ; *Augenius* quidem remedium ex præparatis millepedibus commendat , quo se sanatum peculiari tractatu refert *Laurensbergius* . Alii tamen qui ejusdem periculum fecer-

fecere, nihil opis perceperunt. Quercetanus quoque in Pharmacopea sua restituta aquam describit ad calculum in vesica etiam sine dolore frangendum ; Sed polliceri solent ejusmodi chymici plura quam præstare possunt. Nam si difficile admodum renum lapis comminuitur , multò difficilius vesicæ calculus, cum remotior sit, & renali durior, tum periculum adest ne validiora ejusmodi remedia partes alias lœdant per quas trans-eunt ; Quin etiamsi confringi posse lapidem remediorum usu concederemus , nisi ita comminuatur ut in pulv're ferme abeat, aut in ea frustula quæ commodè excerni possint, nihil aliud consequemur , nisi quod ex uno lapide plures eosque angulares remedia fecerunt , vesicæ cruciatum majorem inferentes, qui que etiam forsitan paulatim additione mucosæ , materiæ augebuntur. Galenus capite de Lapide Iudaico ridet Dioscoridem, qui ad calculum vesicæ hunc lapidem commendat. Medicamentum , inquit , integris viribus ad vesicam pervenire non potest , atque ut concedamus pervenire posse , infringitur via medicamenti tum amplitudine vesica , tum uirina qua natat , tum calculi duritie, tum involucro ē pectuosa multa qua circumvolvitur. Hippocrates ipse in juramento quamvis alias chirurgiam exerceret, Non secabo, inquit, calculosos, sed illius artis operariam

472 DE VULGI ERRORIBUS
variis relinquam. Non habebat enim reme-
dium quo frangi calculus posset. Non est
igitur credendum iis qui remedia ad id præ-
scribunt. Refert Duretus in Holterium se-
vidisse ejusmodi remediis exulceratam ves-
icam, & mortem sequutam, nequaquam de-
trito calculo. Quidam ut idem narrat, ve-
ritus sectionis crudelitatem, quorundam
confilio bibit succum limonum per menses
tres, interiit aphtis ab eo succo in ventricu-
lo excitatis. Necesse est enim aqua medi-
camenta partes per quas transcurrunt, vi ea qua
pollent assicere, & exulcerare. Refert San-
ctorius commentariis in arte parvam Ga-
leni, quendam Medicum Italum, dum ad
frangendum vesicæ calculus uteretur ele-
ctuari de vitro, loco comminutionis cal-
culi, lethalem induxisse dysenteriam. Narrat
quoque alium quendam qui valentissimis
diureticis usus erat ex consilio cuiusdam cir-
culatoris, quæ cum pituitam pluriham ab-
stergendo vacuassent, ægerque melius habe-
re videretur, calculus tamen factus asperior,
cepit vesicam acrius pungere, & facto ulcere
eoque gangrenoso, sicut secto cadavere ap-
paruit, miserrime periit ægrotans. Capi-
vaccius quoque fatetur se necire quænam
medicamenta calculus vesicæ frangant. Et
Galenus in arte parva cap. 94. textu 3. solam
sectionem inter remedia calculi vesicæ re-
cepit,

censet, ubi rectè advertit Argenterius, hioc refelli corum opinionem, qui calculum medicamentis ore assumptis curari posse credunt.

CAPUT XLII.

Lumbricos infibibus non esse statim occidendos.

Lumbricis tum pueros, tum adultos gravissimè interdum laborare contingit, & varia in corpore excitare symptomata, inter quæ non spernenda febris est, quæ duplicitis est naturæ: vel enim fit ab ipsis vermis, est que lenta, nec admodum valida, vel fit ab aliis causis, & cum vermis conjungitur, soletque sæpe esse maligna, quæ ab Hippocrate interdum creditur fuisse dicta θηριῶδης. In curatione horum vermium sæpe errat populus; Primo quod credunt quando cum febre adsunt lumbrici, febrem illam semper esse à lumbricis, cum potius sæpe lumbrici à materia febrili profiscantur. Nam ut docet *Aetius cap. 39. lib. I. tetrab. 3. circa morbi principia geniti, substantiam ex subjecta recipiunt corruptione circa vigorem ex morbi malitia, circa declinationem ex transmutatione ad melius, qui ē celeriter excernuntur.* In principio igitur acutorum morborum exerciti morbi malignitatem indicant; lumbrici

brici enim quando febris causa sunt, non
quam ea valida & acuta est; sed saepissime
in febre maligna apparent, quod est nota-
dum. Nam in priori casu curatio lumbrico-
rum est curatio febris, in hoc vero posterio-
ri, curata febre lumbrici à natura excerni so-
lent eunte ad judicationem morbo, quod
scribit *Hippocrates variis in locis, ut in Prog-*
nosticis & libro de crifibus. Secundo errant
quod in hoc casu tantum lumbricos conside-
rant, statimque ad illos curationem diriguunt,
morbuni que à quo pendent, negligunt, aut
remediis importunè adhibitis deteriorem
reddunt, nam quæ lumbricos necant, febrem
saepè augent. Cum igitur lumbrici, quia to-
to genere sunt præter naturam, enecandi
sint, & expellendi, id quibuslibet remediis
fieri non debet, sed natura morbi cum illis
conjuncti spectanda est, cui remedia potissi-
mum adhibenda, eo enim curato à natura
sub declinationem sponte dejiciuntur. Unde
quia in feribus malignis sunt satis familia-
res, quæ curant febres malignas illis etiam
prosunt, qualia sunt cardiaca plurima, cornu
cervi, unicornu, corallum, theriaca, mithri-
dat. semen citri, &c. & fermè nulla sunt car-
diaca quæ vermibus non adversentur, quam-
vis non semper; unde saepè videmus plurima
eiusmodi remedia quæ aduersus lumbricos
utilia dicuntur, nihil tamen prodeesse, quia
scilicet

scilicet empiricorum more solent adhiberi, absque causarum distinctione, & animadversione reliquarum circumstantiarum quæ spectari debent. Audiamus Rondeletium egregie hac de re differentem, cap de vermis.

Quando autem vermes rejiciuntur in morbis acutis, ut in febribus ardentissimis, & alio morbis senum & puerorum, non statim debemus nos ad illos totam nostram intentionem convertere, ut muliercula faciunt, & Medicis mulieribus inservientes, quod facit ut agri intereant neglecto morbo, aut cum magis ad vermes curationem convertunt quam ad morbum, ut si febris continua, aut aliis morbus biliosos, aut fluxus ventris aliquem occupavit, aut in morbis acutis in principio vermes rejecerit, semen contra dare solent, quod febrem magis accendit, vel corallum, & alia qua adstringunt ad vermes occidentos opportunita solent administrare, qua omnia affectibus præcipuis adversantur, ut mulrum amara febri & fluxus ventris, adstringentia, & siccantia febribus. Quare oportet Medicum diligenter distinguere num febris à vermis dependeat, vel utrum vermes rejiciantur ab aliâ causâ qui semper continentur in ventre; Quod si cognoverimus febrem aliunde fieri, quia quartana, vel tertiana vel vera quartidiana est, nullumque quod urgeat symptomata offendit, negligendi sunt, vel et tantum medicis.

476 DE VULG. ERRORIBUS
medicamenta prescribenda, qua affectus na-
cipuo & vermibus convenient. Quæ fubis
descriptissimus, quia totam hanc rem probè
explicant. Idem etiam animadvertisit Fo-
restus in observat, & Mercatus capite de
lumbricis aliquie.

C A P U T X L I I I .

*Ad adstringenda mulierum profluvia male
cinnamomum prescribi.*

Mulieres sæpe contingit aut lochiorum,
aut mensium, aut aliorum humorum
immoderato profluvio vexari, ad cuius cura-
tionem sæpe vidi ab aliis mulierculis usum
cinnamomi tanquam valde adstringentis re-
medii præscribi solere. In diarrhoeâ quidem
& alvi fluxibus interdum prodesse potest non
dubito, roboret enim ventriculum & vilce-
ra, quorum imbecillitas sæpe alvi fluxus cau-
sa est, sed tamen ad menses sistendos, adhibe-
re nefas est, solet enim potius eos validius
promovere. Est enī aroma calidum sic-
cum, aperientis virtutis, ideoque mentibus
ciendis aptissimum, idque scribit *Discorides*
cap. de Cassia, quæ judicio Matthioli, & Do-
donæi est nostrum cinnamomum, cancella
Gallis vocatum; vim, inquit, obtinetcale-
faciendi, urinam ciendi, ticcandi, & leviter
adstringendi, menses trahit, & postea addit
eodem

Sedem effectus facere cum cinnamomo, de
io capite sequenti ita scribit. Cinnamo-
num omne excalefacit, concoquit, eniollit,
cinnamomum ciet, tam menses, quam partus, potum
ut ex myrrha impositum, pellit. Si haec ita
habent, in maximo errore versari illos ne-
esse est qui cinnamonum ad muliebres flu-
us adstringendos prescribunt. Sed haec res
on est magni momenti.

Idem dicendum est de quibusdam sciolis,
ui medicinam faciunt, & remediorum vires
ignorant, meliores se laceffunt, nec doctio-
nes fieri curant. Quidam sunt adeo periti, ut
redant syrupum de artemisia esse tantum
mulieribus dicatum, syrupum de stoechade
ephalicum tantum medicamentum, Philo-
nium tantum ad somnum conciliandum
prescribi debere, variaque ejusmodi inter-
num occurunt, quae ipsis ignorant; Attamen
i quis simplicia ex quibus praedita compo-
nuntur exacte consideret, ad alia quamplu-
ma non minus utilia censeri debent. In sy-
upo verbi gratia de artemisia multa sunt
simplicia ad varios affectus utilissima. Ipsa
artemisia non solum menses & partum mo-
bet, sed etiam calefacit, exsiccat, obstructio-
nes aperit, renum calculis prodest. Exte-
nuat, inquit Rondeletius, & calefacit pitui-
am, partesque nervosas, uterumque exsic-
cat, catharris antiquis prodest, & idem præ-
stat

stat quod syrups de prasio pollicetur. Idem
dicendum de syrupo de stœchade qui ad plati-
mos viscerum affectus conduceat, sicut &
Philonis antidotus, quam Philo & Melo-
darios frigidos affectus utilem esse di-
cunt. Et sic de aliis quamplurimis.

C

CAPUT XLIV.

*Opium rectè preparatum non esse refor-
midandum.*

CUm somnus sit viscerum robur, & ad
vires reparandas, humorumque coctiones
promovendas, nihil suavius, & efficacius
somno deprehendatur, sanè in ægris quam-
plurimis, qui insomnes noctes plurimas degunt,
omni arte eum provocare utile est &
necessarium. Id autem sæpiissimè non adeo
facile est: sunt enim interdum adeo graves
morborum causæ, ut somnifero etiam gra-
viori corpus consopiri non sinant. Ad eum
autem provocandum varia adhibentur re-
mediorum genera, interna & externa. In-
terna quidem varia præscribuntur, sæpiissimè
admodum inefficacia, ut lac amygdalinum,
semen papaveris, quod in pluribus locis ab
incolis editur, ejusque oleum defectu olei
olivarum usurpatur ad obsonia. Sed in usum
cæteris irritis venit opium. Illud populus
exhorrescit, & quasi præsentaneum venu-
sum

num rejicit, cum tamen recte præparatum,
 & conveniente dosi exhibitum innoxium sit,
 & salutare medicamentum. Venenum qui-
 dem esse veteres scriptis tradiderunt, sed tan-
 tum quando nimia quantitate assumitur. At
 si nihil est adeo salutare, quod pravo usu
 noxiū non evadat, nihil adeo noxiū,
 quod non fieri possit salutare. Venenorum
 autem varia sunt genera, quædam tota sua
 substantia venena sunt, quæ quoctunque de-
 dum modo assumantur, nullam corpori u-
 tilitatem præstare possunt, quamvis tam
 exigua dosi præberi etiam possint, ut non in-
 terimant, ut arsenicum; Aliorum verò con-
 tra hæc est natura, ut non nisi certa quanti-
 tate noceant, alias prodesse possunt, qualia
 sunt fermè omnia medicamenta, præsertim
 purgantia. Quæcunque enim eâ quantitate
 exhibentur, ut naturam superent, veneno-
 rum naturam induunt, sic lac in ventriculo
 concretum, succus lactucæ, venena esse cre-
 duntur, quæ tamen prodesse possunt huma-
 no corpori, si mediocris illorū sit usus. Quia
 etiam napello & cicuta nutritas fuisse puel-
 las quasdam historiis proditum est. Sed præ-
 terea notandum est inter ea quæ somnifera
 dicuntur, opium esse innocentissimum, va-
 riis de causis. Primo opium illud, quod ha-
 bemus, ut plurimum est meconium Diosco-
 ridis, quod sit ex succo foliorum & capitum
 papa-

papaveris expresso, opium vero est lacryma. Est autem meconium opio longè inefficacius ex Dioscoride, estque eadem sententia Matthioli in Epist. Unde ut noceat, majore dosi quam opium exhiberi debet. Scribit autem Dioscorides opium sumptum ervi magnitudine dolorem finire, concoquere, somnum allicere; sed si copiosius sumatur, nocere: Scribitq; quendam Macfiderum solum illius usum in olfactu probare, quoniam ad conciliandum somnum conveniret, alioqui ut noxium prohibuisse, sed addit. Dioscorides, *Qua commentitia esse experimento deprehenduntur, si quidem effectus virium hisuscne medicamentis fidem faciant.* Secundò notandum ex Galeno narcoticorum varia esse genera, quædam enim humectant, alia siccant, quæ humida sunt ut cicta, mandragora noxia sunt, sicut & quæ tota substantia nobis infesta sunt, ut solanum somniferum, quæ in usum adhiberi nunquam solent à Medicis ad somnum conciliandum. Sed quæ innoxie intus sumuntur, siccandi potestatem debent habere, id docet Galenus; *Simplic. 18.* ubi scribit hypnotica refrigerant corpus, & ad id aptissimæ esse quæ deliccent. Et primo de symptomatum caulis scribit, ea quæ refrigerant & humectant, non somnum, sed coma, stuporem & caron facere. Quæ vero exsiccant ut opiu-

mum

mínus noxia esse. Igitur ex sententia Dioscoridis & Galeni non est adeo formidandum opium moderatè sumptum. Plurima quoque medicamenta in officinis servata opium recipiunt, ut theriaca, mitridatum, diaescoridum, philonium, veteresque Medici omnibus fermè antidotis illud admiscere solebant, ipsoque adinodum familiariter utebantur in variis morbis, imò etiam interdum pejora usurpabant, *Hippocrates 2. de morbis* utitur hyosciamo & mandragora ad febrem quartanam. Aëtius ad eandem præscribit opium cum myrrhæ, piperis & castorei æquis partibus. Nos autem hoc tempore securius utimur opio rectius præparato & corredo per extractiones chymicas, ut laudano, cuius grana duo triave, & ad summum quatuor sufficiunt, ubi tamen non adest opii, illiusq; rectè præparati granum unum. Cum igitur nostrum opium sit ut plurimum meconium Dioscoridis; quod opio longè ignavius est, & propterea majori quantitate præscribi possit, dosis illa grani unius vel alterius nocere nequit. Dioscorides opium ad ervi magnitudinem præscribit. At nos pilulam Laudani damus ervi magnitudine, cuius tertia pars non est meconium. Rationem sanè non video cur adeo sit formidabile opium, modo rite præparetur, & cætera omnia curiosè attendantur, quæ in narcoti-

482 DE VULGI ERRORIBUS
corum exhibitione *Galenus* observari vult.
alias haud dubiè nocere potest. Hic obiter
notandum est varias esse descriptiones istius
laudani, plurimas valde ineptas; In quo-
dam laudano opium lento ignis calore ex-
siccatur; In alio præter opium alia insunt
narcotica, ut *hyoscyamus*, & similia opio
periculosiora. In alio adduntur plurima
correctiva dicta, ut *salia perlata*, *corallo-*
rum, *tinctura auri*, & plurima ejusmodi in-
utilia, quæ prætium remedio, non autem
vires addunt. Ut in laudani operosa descri-
ptione quam *Quercetan. sine iudicio scrip-*
ti tradidit. Laudanum autem illud, de quo
loquutus sum, præparatum intelligo secun-
dum *Pharmacopœæ Londinensis* descriptio-
nem, quæ & minùs operosa est & optima.

C A P U T X L V.

De somniferis capiti applicatis.

QUi opium reformidant, satis esse pu-
tat, si ad somnum conciliandum exter-
nis utantur remediis capiti & naribus ad-
motis, ut frontalibus, & unguentis. *Mnefi-*
demus apud Dioscoridem, ut supra diximus,
opium tantùm probabat olfaciendum, non
sumendum. Sed hic monendum ejusmodi
externa remedia non semper optatum effe-
ctum consequi, quia vires suas ad cerebrium

vix

ix trāsmittere possunt fronti admota. Primo
via saepius ut oportet non renovantur, un-
e in fronte incalescūt, sic postea caput magis
ilefaciunt, & somnos potius prohibēt quam
liciunt, unde rectē monet *Galenus* in libris
iethodi variis in locis, ut ejusmodi refrig-
erantia topica saepius renoveantur, ne ubi
mel à corpore incaluerint, illud iterum
magis calefaciant. Secundō quoniam os
ontis solidum est, densum, & à cerebro ip-
usque ventriculis longius semotum quam
liqua capitis ossa, unde difficilius topico-
rum vires per ejusmodi os ad cerebrum per-
seant, unde *Galenus* rectius topica non ossi
ontis, sed suturæ coronali quæ capillo te-
titur applicare jubet, sive refrigerandum sit,
ve calefaciendum, quia ossa syncipitis ra-
iora sunt, laxiorque est illorum compages,
& synarthrosis, ex lib. 2. de Medic. secun-
dum locos.

C A P U T X L V I .

*Fomentationes factas per vesicas esse
minus efficaces.*

Nter topica remedia apud Medicos satis
celebris est usus fomentationum, quæ
iunt ex liquore quodam partibus applicato-
d varias intentiones, ad partes calefacien-
as, obstrunctiones solvendas, dura emollien-

X 2 da,

da, dolores sedandos, humores digerendos & discutiendos. Fiunt autem ex liquore idoneo, praesertim ex decocto multorum simplicium, aut ex oleo, lacte, & similibus; Quos liquores plurimi vesica includunt, & linteamina, & syndones lecti humectentur, quod postea ægris admodum tædiosum est. At sic inutilis redditur praedictus apparatus variorum scilicet simplicium permittio, & decoctio; Virtus enim illorum per vesicas in corpus non subit, sed solus calor operatur, unde si pars quæpiam solummodo calefacienda sit, potest ejusmodi fokus fieri ex vesica quicunque demum liquor includatur. Sicut & si demulcendus sit dolor, humores que digerendi, calor enim virtute sua hæc operatur, sed si obstructiones sint solvendæ aut aliquid in corpore molliendum, vesica minùs est utilis, sed vel linteis, vel filtris, vel pannis laneis, vel spongiis liquore idoneo imbutis utendum, sic remedii vis parti applicata per cutis poros in corpus altius se insinuat, illicque vires suas expromit, interdumque humores ex alto ad superficiem allat, sicut qui Balneo tepido lavantur, sciatunt etiam in partibus internis illius effectum. Quanquam igitur vesicarum applicationem ad fokus corporis non improbem, minùs utilem tamen ob causas praedictas esse crediderim.

CAPUT XLVII.

De applicatione Catulorum & Columbarum plantis pedum.

Non solum populus sed etiam Medicorum quamplurimi columbas juniores, atulosve per medium dissectos pedibus applicare consueverunt, quem morem hoc loco non improbo, scio enim cum maxima ægrotantium utilitate sæpe id factum vissle. Sed quoniam paucissimi capiti applicare solent, hac de re hoc capite agemus. Ieteres enim atque etiam recentiores sæpius capiti applicare jubent, raro aut nunquam pedibus. Solet hujusmodi remedium in cerebri morbis, phrenitide & delirio usurpari. Est autem phrenitis inflammatio Cerebri vel membranarum ejus, cuius hæc est omnium Medicorum consensu curandi ratio, ut in principio omni revulsionum genere Medicus utatur, & capiti ipsi repellentia admovet ut humores fervidi à capite retrocedant. Verum si his artibus prohiberi morbus non potest; In augmento & statu morbi ad resolventia veniendum, quæ in augmento repellentibus primum admisceantur, sed in statu morbi mera sint resolventia. Cui indicationi ut satis fiat, *Galenus 13. methodi cap. 2.* utitur spondylio, thymo, serpillo, &

436 De Vulgi Erroribus
aliis ejusmodi calidis in oleo decoctis, docetque phrenitidem in statu, & lethargum eandem habere curandi rationem, quoniam in utroque affectu iisdem solventibus remediis est utendum, ubi etiam sinapi, & castoreum, quae admodum calida sunt, probat. Et ejusmodi calida in statu & declinatione non calefaciunt, sed resolvunt. Est enim hæc omnis inflammationis recta curandi ratio, ut in statu & declinatione digerentibus & discutientibus utamur, nam ut docet Gal. 1. Simplic. cap. 4. Refrigerant digerentia ex accidente inflammationem. Unde 1. ad Glamconem cap. 15. in dolore capitis in febribus, & 2. de Medic. 2. locos, ejusmodi digerentibus utitur, post universales scilicet vacuationes. Recentiores autem pullos columbinos, & catulos dissectos, & pulmones Arietis recenter calentis usurpant, quæ remedia etiæ veteres ignorârint, eidem tamen indicationi aliis simili virtute respondentibus medicamentis satisfaciebant. Jam verò quando catuli, aut columbae plantis pedum applicantur, id sit vel ad revulsionem, vel ad resolutionem materiæ morbificæ. Non quidem ad revulsionem, quia vix unquam iis utitur populus præterquam in statu, aut declinatione morbi: revulsio autem in principio fieri debet, cum quia horum calor blandus est admodum, nec satis

Satis potenter ad sese attrahit, nam quæ revulsionem ad distantissimas partes faciunt, debent esse calidissima, & ferventissima, ideo *Galenus lib. de revulsione* docet acria esse debere, quæ succos ad caput & viscera vergentes revellunt. *Oribassius 8. collect cap. 19.* idem dicit, Nam attrahunt calore & dolore. Pulli autem columbini resolvunt absque magno calore, quapropter etsi attrahere credam, id tamen leviter tantum, & non à longinquis partibus, ob blandum calorem. Nec faciunt etiam ad resolutionem, nam topica quæ id præstare debent, parti affectæ sunt applicanda, quis enim crederet ad humores cerebro impactos resolvendos pedibus applicanda esse remedia. Et hæc est sententia omnium authorum ad unum, qui de morbis capitis scripserunt. Non tamen improbo hanc applicationem plantis pedum, quia juvare aliquantulum potest, nocere autem non potest. Familiare est apud Monspelienses, ejusmodi pullos columbinos per medium discisos, cum pulveribus cardiacis cordi epithematis instar admovere, ad robur cordi conciliandum, & vires recreandas, quia calorem habent blandum, & nostro calori familiarem & amicum.

CAPUT XLVIII.

De unguentis Armariis.

QUONIAM à quibusdam magno est in pretio unguentum dictum *Armarium*, *sympathicum*, *magneticum*, *stellatum*, quod non parti affectæ, sed telo vulnerantiadmotum vulnerum curationem perficere creditur, de eo paucis agemus, quoniam non pauci nunc eo uti incipiunt. Fuit hoc inventum quorundam Germanorum, maximè Theophrasti Paracelsi, quem sequuti sunt Goclenius quidam, Crollius quoque qui diversam à Paracelsica hujus unguenti descriptionem attulit, aliique querum pars Paracelsi, pars altera Crollii descriptiones sequuntur. Volunt autem quidam hoc esse Dei donum quam maximum, ut tanta cum facilitate vulnera curentur, estque tantum artis chirurgicæ compendium, ut deinceps chirurgica ars negligi debeat, cum unico remedio vulnera & ulcera curari possunt. Sed tamen conquerendum videtur de natura, quæ tam elegans remedium haclenus occultum esse voluit, & ignotum Adamo, Patriarchis sanctis viris, Judæis, primis Christianis, & viris doctissimis. Sed revelaverit ebriosis, temulentis, scortatoribus, aleatoribus, Magis, qualem fuisse istum *Paracelsum* fama est, ipsius

ns popularibus ita scribentibus, & confiten-
ibus. Reliqui meo judicio tam obscurè sc̄e
xplicant, ut quid voluerint ipsos nescivis-
dmodum verisimile sit, nec movere quen-
quam debet, quod *Goclenius* scribit se nomi-
nare posse Imperatores, Reges, Principes,
qui huic unguento testimonium perhibeant:
nam forsitan fucum fecerunt hujusmodi Prin-
cipibus quidam nebulones, quod non est im-
possible, sed ipsum *Goclenium* ignotum fuī-
e Regibus, & Imperatoribus certissimè cre-
do. Sed his omissis primq̄ notandum compo-
ni istud unguentum ex musco (quem usneam
vocant) in cranio hominis efflorescente, quia
hæc est quedam cranii qualit̄ essentia quinta
purior, magisque spirituosa substantia, ut
quidam reliquis doctior sibi persuasit. Vio-
lentâ morte p̄emptum hominem elegit
Crollius: quem suspensum præfert ipsius
commentator *Hartmannus*; Quia cum
strangulantur spiritus naturales & vitaies
sursum feruntur, & cum ob cranii duritiam
exire non possint, simul cum animalibus coër-
centur, & temporis progressu in unum coales-
cent, & foras ad cranii circumferentiam
erumpunt, deinde accedente mercurio seu spi-
ritu Mundi, per pluvias, rorem, nivem, pru-
nas, tanquam vehicula in hac inferiora ef-
fuso, fit usnea, qua in se continet omnes vir-
tutes naturales, vitaes, animales, quas postea

X 5 unguen-

unguento communicat. Quis non admiretur in Haymanno tam supinam naturalis Philosophiae ignorantem? Malè siquidem scripsit in strangulatis spiritus naturales & vitales sursum ferri, cum tamen suspensi patientur interceptiones vasorum, venarum scilicet & arteriarum, per quas spiritus hi sursum feruntur, ut omnes norunt. *Quia etiam*, quamvis copiosius quam alias tunc ad cerebrum fermentur, cur potius in suspenso, quam in vivo animali coercebuntur, in quo tam facilis sit spirituum jactura, sed quomodo antequam cranium muscum hunc sive situm contrahat, non dissipantur & pereunt? Sed unde novit spiritus hos in strangulatis ad cerebrum delatos in cranio potius quam in cerebri substantia contineri? Nam in vivo animali ut plurimum sunt in ipso cerebro; Spiritus hi vel sunt influentes, vel insiti. Si sunt influentes tantum, certissimum est levi occasione omnes post mortem dissipari, quia non sunt partes corporis, nec à viribus corporis viventis quæ perierunt, retinentur; Hinc perpetuo in vivente nova spirituum reparatio necessaria est, quia absuntur copiosi. Multò magis quando cadaver corruptitur, per annos foritan aliquot, antequam cranium omnino denudetur, & ad situm contrahendum aptum sit. Non esse insitos patet, quia insiti sunt immobiles, at hi spiritus

in ipso suffocationis actu celeriter ad cerebrum feruntur. Nec credendum est post mortem, aut moriente animali fieri insitos (quod videtur intellectus Hartmannus, cum dicit temporis progressu in unum coalescere) nam ex influentibus fiunt aut reparantur insiti, per nutritionis actionem, quæ non est in strangulatis, quæ etiam si foret, potius fieret in cerebro, quam in cranio. Præterea spirituum substantia admodum tenuis est, & dissipabilis, quomodo igitur, quando ad craniī circumferentiam erumpunt, nec ipsius duritie amplius concluduntur, non evanescent in auras, sed in crassissimum putidumque muscum concrescent? Id spirituosa ipsorum substantia non patitur. Unde temere ipsum addidisse patet, hanc usneam contingere omnes corporis virtutes, mirum quoque si non nutriatur, sentiat, ac ratiocinetur. Mitto quod de spiritu Mundi blaterat, quem Mercurium Mundi vocat. At si datur ejusmodi Mundi spiritus, per universum Mundum diffusum illum esse necesse est, non autem per pluviarum, nivium, imbrium incertas vicissitudines ad nos influere. His absurdis basis istius medicamenti concutitur. Sed fermè exciderat, quod istius usneæ, basis scilicet tam salutaris remedii, Crollius tantum duarum avellanarum pondus, hoc est, interprete Hartmanno, drachmam unam, unguen-

to suo admiscet, sed Paracelsus uncias duas necessarias judicavit, quamvis Paracelsi descriptio sit tantum unciarum novem; Crolliana vero sit unciarum tredecim, tanta molles tam exiguae basi innititur. Secundò notandum, præterea in unguento secundum *Paracelsi* descriptionem adesse sanguinem & adipem humanum, sed Crollius haec omisit & rectè, si sola usnea omnes vires possidet, quod non tamen credidisse videtur *Paracelsus*, qui haec addidit, sed horum loco imponit adipem verris, apri, & ursi. Cur autem sanguinem addiderit Paracelsus, rationem reddit *Hartmannus* ipse, quia etsi spiritus volatiles evanescant, illi tamen qui sali sanguinis fixo inhærent, retinentur. At antea spiritus hos volatiles ad cranium delatos expetebat. Sed revera ipse Crollius inutiles esse putavit. Præterea *Paracelsus* & *Crollius* mumiam addunt, per quam author meus *Hartmannus* Ägyptiacam intelligendam censet. Quæ tamen ineptissimum est medicamentum, cum ab impostoribus fiat in Ägypto ex elephanticorum, luc venerea, aliisque pessimis morbis laborantium, & servorum quos emunt carne, condita cum pice & asphalto. At *Paracelsus* sèpissime magni facit mumiam quani vocat patibuli, id est hominis suspensi carnem, quam Crollium intellexisse probabile est, quia pinguedinem hominis

hominis & sanguinem omisit, quæ tamen *Paracelsus* habet. Demum alia adduntur simplicia qualia reliquis possunt inseri unguentis & emplastris, nam *Paracelsus* adjecit oleum lini, rosarum, bolum armenum, *Crollius* verò lumbricos lotos, cerebrum apri, santalum rubrum, hæmatitem. Hic considerare debet lector, hæc revera esse duo unguentorum genera omnino discrepantia, nihilque habere commune præter usneam, quam tamē *Crollius* exigua admodum quantitate addidit, & tamen duo hæc unguenta idem præstare dicuntur, quamvis *Crollius* ea omiserit, à quibus Paracelsi totam vim magneticam repetere solent. Imò alii etiam ipsam usneam omiserunt. Tertiò quidam in unguenti compositione observant syderum aspectus, variosque concursus. Usneam abradit *Crollius* Luna crescente, & in domo Veneris aut alia bona domo existente, non autem Martis & Saturni, vultque unguentum parari, quando Sol est in Libra. Alii verò rectius hæc negligunt: Si enim virtus unguenti magnetica est, id est eadem vi curat vulnera, quâ magnes trahit ferrum, siderum concursibus opus non est, cum insit à natura, sicut magnes quolibet tempore, & sub quolibet sydere ferrum trahit, & polum spectat. Quartò quidam telum inungunt, illudque postea accurate ligant, calidum servant

vant à pulvere & vento intactum, aliás inquiunt doloribus torquentur ægri si refrigeratum, nec deligatum telum jaceat. Quidam tamen sola immersione teli in pixidem unguentariam, absque ulla deligatura curationem se perfecisse afferunt, quod *Paracelsus* tantummodo requirit. *Quinto* si telum quod vulneravit defuerit, vel lignum maximè salignum ex Crollio, aut festucam, aut aliud quipiam sanguine ex vulnere manante profundunt, illique adhibent remedium. *Sexto* jubent ut quotidie vulnus ægrotantis urina lavetur. *Septimo* considerari vult *Crollius* an punctum vulnus sit factum, tunc enim ungi debet telum superius non inferius descendendo, quod tamen non curâsse videtur *Paracelsus*, qui solam immersionem teli in unguentum commendavit. *Octavo* notandum est, omnia fermè curationum exempla quæ afferri solent, esse tantummodo vulnerum simplicium in carne, in quibus nulla est substantiæ deperditio, sed unica solum indicatio, scilicet unitio. *Nono* hanc hujus effectus rationem quidam reddunt, spiritus scilicet esse in sanguine, & propter familiaritatem ac sympathiam spirituum humanorum inter se fieri unguentum ex hominis sanguine, adipe, carne, & craniī musco, in quibus spiritus continentur. Hinc fieri ut quando vulnerati sanguis unguento admovetur, propter sym-

sympathiam spiritus sanguini iusti, junguntur. cum spiritibus unguenti ipsis homogeneis, siveque vires unguenti suscipiunt, ac veniunt ad ipsum vulneratum. Nec tantum unguenti vires, sed & affectiones quae sequuntur unguentorum administrationem, quales sunt quae ex deligatura aut arcta nimis, aut laxiori contingere possunt, tum eas quae sequi possent si in loco frigido, aut nimis calido apertum vulnus relinquatur. Estque tanta vis horum spirituum, ut ab oriente in occidentem, à meridie in Septentrionem vim unguenti deferre possint. *Crolanus* verò fatuos vocat omnes qui curam hanc magicam esse putant, eamque fieri vult per vim magneticam, attractivam, à syderibus causatam, quae mediante aëre vulneri conjungitur, idque propter sympathiam naturæ, balsamum sanguinis, quod est in quolibet homine, & influentiâ corporum cœlestium. Et sic explicat *Hartmannus*, cum telum inungitur, sal fixus sanguinis in telo attrahit vi magnetica spiritum animalem ex unguento, qui duo spiritus interveniente spiritu Mundi, amicabili nexu & copula uniuersur. At si non potest spiritus qui est in sanguine teli, attrahere spiritum unguenti, absque inunctione, id est contactu corporeo, quomodo magnetica vi illum attrahere dicitur? Vult autem spiritum hunc Mundi esse

esse per cuncta diffusum , omnium idealium
seminum , & rationum vectorem , omnia
complexu suo conciliare , activa passivis ap-
plicare. Hinc sit ut quicquid commodi vel
incommodi spiritus ille extra venas coagu-
latus sentit , idem statim congenerti suo in ve-
nis residenti sympatheticè communicat. Inde
sit cur æger dolcat si telum igni admoveatur
aut aëri frigido exponatur ; & vice versa si
æger cæpas , linapi , aut allium comedenterit , id
statim in telo observetur , quia scilicet hi spi-
ritus suas passiones sibi invicem communi-
cant. Ex prædictis facillimum erit demon-
strare vanitatem istius curationis , cuius me-
nullum unquam fecisse pérículum , nec cu-
pere , confiteor. Vanam tamen esse ex eorum
principiis spero me demonstratum. Nam
fundamenti loco multa ponunt admodum
dubia & incerta , ut quæ de spiritu Mundi fa-
bulatur *Hartmannus* , quem adesse nullus
haec tenus potuit demonstrare , quem esse per
omnia diffusum scribit , cum tamen paulò
antea scripsisset eum per pluvias , rores , prui-
nas , tanquam vehicula in hæc inferiora effundi-
& sic tempore admodum sereno abesse
potest hic spiritus , quando forsan ipsum ades-
se maximè oportebat. Et ne spiritalem &
incorporam substantiam intelligamus , *Mer-
curium Mundi* illum vocat , & sanè corpo-
reus esse debet qui corporeo vehiculo indi-
get.

get. Supponit quoque spiritus in sanguine etiam corrupto esse perpetuos, & inalterabiles, cum tamen sanguis etiam in ipso corpore & in venis, ita corrumpi possit ut formam suam amittat, multo magis extra venas, & haud dubie qui in unguento sanguis est, formam suam omnino amisit, & spirituum suorum efficaciam, & sic analogia illa & sympathia spirituum vulnerati & unguenti, multum est labefactata. Quod autem magicam hanc curationem quidam vocant, non est improbabile, quandoquidem ejusmodi virtus sanandi, quæ in unguento esse dicitur, spiritu Mundi, id est Dæmone, qui princeps Mundi dicitur, vectore indiget. At ego potius falsam hanc curandi rationem esse crediderim, quam magicam; quoniam plurimi eam sequuntur, qui ab ejusmodi scelesto crimen sunt valde alieni; Nec obstat experientiam veritatem hujusc curationis adstruere, nam tantum vulnera sanata sunt quæ sponte naturæ absque ulla artis ope potuerint sanari, & proinde adhuc dubium esse potest, utrum virtute unguenti curatio perfecta fuerit, ut dicemus inferius.

Primo igitur falsum est, ejusmodi unguentum esse donum Dei magis peculiarter, quam alia unguenta & remedia esse solent, cum ex illorum confessione tota hæc curatio fiat per agentia naturaliter operantia,

tia. Fatendum quidem est, omnia esse dona Dei, quæcunque edimus, bibimus, ad humani corporis sanitatem adhibemus. Verum hoc sensu illi non vocant unguentum istud donum Dei, sed *κατ' εξοχήν* quia Deus miraculosè illud homines docuit, quasi omnis scientia & disciplina remediorumque cognitione non sit à Deo, qui ex terra creavit Medicinam. Sed videamus porro an curatio hæc sit possibilis. Magnas quidem & varias esse rerum sympathias, & antipathias ostendit experientia, quarum rationes reddere est impossibile. Verum omnes intra quandam activitatis sphæram continentur, & terminantur. Videmus quotidie magnetem non nisi intra certam distantiam trahere ferrum. Quidam felium præsentiam ferre non poterat, etiamsi eos minimè videret, expulsis è cubiculo felibus objectu parietis, vel ostii redibat ad sese. Et sic de aliis omnibus. Nulla efficacior sympathia est, quam quæ est inter cœlum & inferiora; quoniam omnia circumflexu suo continet, summaque agendi vi præditum qualitates virtutesque suas quoquoversum diffundere potest, ita ut inferior hic orbis, & quælibet illius particula, sit intra sphæram activitatis corporum cœlestium. Videmus tamen clangescere istam sympathiam distantia locorum. Magnes spectat polum arcticum, quo autem longius à polo remo-

removetur, ab eo magis declinat, ita ut sensim non polos Mundi, sed Zodiaci spectet, & forsitan aliam potius cœli partem, quam ipsum Boream. Si id verum est de cœlestibus, verius erit de inferioribus. Quomodo ergo potest vis istius unguenti interdum tam procul deferri, nec objectu ædium, marium, montium, murorum, ventorum, arcæ in qua cum telo ipso saepe concluditur, interturbari, maximè cum devehentes spiritus sint corporei, qui objectu aliorum corporum possunt impediri, aut saltem quo magis distat objectum, eo magis ipsius virtus immunitur, verendum summa cum ratione ne in longiore locorum intervallo, unguenti vires penitus evanescant. Scribit *Hartmannus* fieri communicationem hanc per vim magneticam, eodem modo quo cadaveris odor vulturibus communicatur per multa millaria. Attamen odores in quolibet spatio non diffunduntur, & variarum rerum præsentia possunt interturbari, ut à ventis, pluviis, aliisque ejusmodi rebus. Malè quoque *Galenius* exempla plurium sympathiarum adduxit: non sequitur enim, si in variis rebus dantur sympathiæ, ergo & in unguento. Deinde sympathia quæ dicitur esse in hoc unguento, longè diversa est à sympathia rerum aliarum, quæ vires suas per infensiles affluxus in aërem diffundunt, nec spiritu Mundi tanquam

quam vectore indigent , & nunquam nisi
objecto præsente fiunt , & intra certum spa-
tium finiuntur. **E**sse autem certas quasdam
~~anopolas~~ ostendit magnes, qui allio perun-
ctus ferrum non allicit , indicio non solius
qualitatis , sed etiam substantiae alicujus te-
nuissimæ fieri effluvium. **S**ecundò non sit le-
gitimus contactus agentis & patientis , non
enim vulnus ipsum attingit , sed telum tan-
tum absens , quod nec morbi , nec sanitatis
est subiectum , & quod curari non postulat.
Unde non absurdè dixit quidam , illum qui
telum ligat ut vulnus sanetur , idem facere
ac si quis lapidem frigidum qui manum re-
frigaverit , operiat , ut eadem manus ca-
lefiat . Nec dicat quispiam fieri conta-
ctum virtutis deferente spiritu Mundi vim
unguenti ad vulneratum , nam spiritus hic
Mundi , si talis datur , communis est om-
nibus rebus quæ Mundo continentur. **A**liter
spiritus Mundi non foret. Et tamen in alia-
rum rerum sympathiis non operatur , nam
absente objecto nullæ sunt. Et præterea vir-
tus hæc unguenti sympathica , quæ cum spi-
ritu Mundi tam amica societate connecti-
tur , non sita est in re artificiali quâ talis , sed
in quapiam re naturali , dicere deberent quæ-
nā in unguento sit res illa naturalis , cui pecu-
liariter cum spiritu Mundi tanta est familia-
ritas. **S**icut nos Galenici dicimus in quolibet
orga-

organō esse quandam partem peculiarē, quæ est sedes facultatis, & à qua præcipue pendet actio: haud dubiè idem fieri debet in hoc unguento, nā omnia simplicia quæ illius compositionē ingrediuntur, non possunt æquè primo cum spiritu Mundi ita consentire, ut illorum vires de loco in locum transferat ad arbitrium inungentis. Curatio igitur fiet vel à similitudine teli ad vulnus obligandum, at in relationibus nulla est agendi efficacia, quin potius inter telum, & vulneratum antipathia esse deberet; Aut virtus quædam dimanat ab unguento ad vulnus (nam secundum Crollium unguentum est glutinantis & suppurantis naturæ) at non se tangunt. Nec sufficit ista sympathia naturæ quam curationis causam cum balsamo naturali constituit Crollius: Nam si ulla est ejusmodi sympathia, inunctio erit supervacanea, virtutes enim quæ per tanta locorum intervalla deferuntur magnetico more, non egent corporeā applicatione. At in hoc unguento sit contrarium, quoniam sine armorum inunctione nihil præstat; Igitur ejus actio est materialis, & reliquorum unguentorum more, operari non potest absque contactu corporeo, ut appareat ex inunctione. Si enim operari posset magneticè contactu corporeo, frustra est inunctio; Indò frustra observat Crollius modum inungendi in parte superiori

periori vel inferiori teli, nam posset vis ejusmodi vulneraria ex pixide unguentaria ad omnes demum vulneratos diffundi, nam cum omnibus habet sympathiam. Cum igitur non operetur absque applicatione corporea & certo inungendi modo, certum est reliquorum remediorum more tantum agere posse in rem cui admovetur, non autem ulterius. *Tertio*, cur in unguento admiscetur sanguis, adeps, & muscus ossium humnorum; An propter spiritus qui rebus hisce etiam corruptis inesse creduntur. At plures sunt in corpore ejusmodi spiritus, quam in unguento, aut in effuso sanguine vulnerati. Igitur vel vis unguenti sanat, vel vis spiritus referentis. Si vis unguenti curationis causa est, vel sita erit præcipue in adipi, sanguine, & usnea, vel in aliis remedii naturalibus unguento additis, oleis scilicet, & pulveribus. Si à prioribus pendet vis unguenti, inutile erit unguentum, quia in agrotantis corpore, jam hæc antea insunt multò & copiosiora, & efficaciora. Si verò pendet ab aliis simplicibus, quæ subeunt unguenti compositionem, frustra adduntur priora, sanguis scilicet, adeps, & usnea, quia nullas dant vires unguento. Sic quodlibet remedium vulnerarium, si vulnerati sanguis ipsi admoveatur, poterit curare vulnus magnetice, deferente scilicet spiritu vim unguenti.

guenti ad partem affectam. Et revera nulla ratio est, si hæc sympathica curatio est naturaliter possibilis, cur omnibus unguentis non conveniat, & sanguis & usnea non propter vim curandi, sed propter sympathiam tantum unguento admiscentur. Sicut, si detergendum vulnus est, sumatur sanguis patientis, cui admoveatur detergens unguentum, spiritus qui sunt in sanguine, propter sympathiam, mediante spiritu mundi, vim illius unguenti deferent ad vulneratum, sic fiet curatio. Potest pariter quodlibet remedium fieri sympatheticum, sic poterunt purgationes institui, aliæve Medicorum intentiones perfici, admoto ægrotantis sanguine cuilibet convenienti remedio, cuius virtus postea ad ægrum devehatur, mediante spiritu Mundi. Quod si vis spirituum ipsorum sanandi vim habet, cum plures in corpore remaneant, frustra vis unguenti imploratur. *Quarto* appareat ex circumstantiis inutilem esse ejusmodi curandi rationem. Dicunt enim ex ligatura vel laxa nimium vel compressa, eadem in ægris contingere symptomata, quæ ex ejusmodi deligatione accidunt, quando corpori adhibetur. Symptomata autem hæc vel proveniunt ab unguento, vel à deligatione. Non ab unguento, quia vim sanandi habet, non autem nocendi; nec à deligatura, quia res artificialis non

504 De Vulgi Erroribus
non habet vim operandi ad distans, & in
aliud subjectum quam cui admovetur. Un-
de quia *Crotonis* varias applicandi formulas
præscribit, suspectum esse debet ejusmodi
unguentum, nam in rebus naturalibus ejus-
modi artificiosa ungendi ratio vim immuta-
re non potest, & ex beneficia noxiā facere
sicut pariter in magnete appareat. Nec etiam
ab utroque dependet, quia vis unguenti ma-
gnetica, cum statuatur esse prorsus natura-
lis, & unguento insita, provenit ab agenti-
bus naturaliter operantibus, qualia sunt sim-
plicia ex quibus componitur, non autem ab
artificialibus, quæ à mero inungentis arbi-
trio pendent. Præterea dicunt, quicquid
commodi vel incommodi spiritus ille qui
est in sanguine teli sentit, idem congeneri
suo in venis sympatheticè communicare, inde
sit ut æger doleat, si telum igni, aut aéri fri-
gido exponatur. At sic non solum unguen-
ti virtus vulneraria, sed etiam frigus exter-
num habebit vim magneticam, quod est ab-
surdum. Posset sic noxia illa refrigeratio, à
telo refrigerato ad ægrum deferrī, per me-
dium fervidum ut in lumenis æstatis ardori-
bus. Si igitur in Boreali regione telum in-
ungeretur, patiens verò esset in Africa re-
gione fervida, telo ex suppositione refrigera-
to, æger in Africa etiam forsitan juxta ignem
refrigerabitur. Id autem cum non possit
fieri

sieri nisi per aërem, ut facetur *Crollius*, aëris Borealis habebit vim refrigerandi aëri Africanum, quod quis non videt esse absurdissimum? Sed quærerem præterea, cum mutua sit spirituum sympathia, & scribant assertores curationis magneticæ, vice versa si æger pravam observaverit vivendi rationem, & allium, cæpas, sinapi comedenter, id statim in telo observari. Si juxta ignem in Africa æger decumbat probè calens, telum autem inunctum aëri frigido exponatur in Boreali regione, cur potius æger refrigerabitur, quam telum incalescet, quia volunt illi spiritus istos suas passiones sibi invicem communicare. Externæ istæ affectiones ut refrigeratio, vel calefactio spiritibus accidunt, vel ab unguento, vel non. Si non, ægrum non afficiunt, quia unguentum necessarium est propter vim magneticam quæ ipsi inest, non autem in ambiente aëre, ut aliis rebus externis, & propter solum unguentum à telo ad ægrum sit virtutum communicatio. Nec ab unguento, quia nec refrigerandi, nec calefaciendi virtutem habet. Sunt igitur hæc externum quid, nec ~~per se~~ & pro ambientis alteratione permutantur, nam in calido aëre, probè deligato telo & operto, tum spiritus, tum unguentum incalcent, & contra. Tunc quæro, quomodo in via ab aëre iterum non refrigerantur,

possunt enim transferri per ejusmodi me-
dium quod frigidum est , sicut venti natura
frigidi per plagas calidas transeuntes ipsi ca-
lefiunt , ut sunt meridionales. Pariter si
quispiam vulnere , vel venæ sectione , vel
hæmorrhagia , aut alio modo plures sangu-
inis uncias amittat , mirum est quomodo al-
terato , & refrigerato illo sanguine , varia
non patiatur æger symptomata , si tanta est
spirituum inter se se sympathia , ut quæ com-
moda vel incommoda ab externis causis pa-
tiuntur , congeneri suo in venis communi-
cent : sic spiritus illi refrigerati corpus il-
lud à quo effluxerunt iterum refrigerare pos-
sunt. Si effusi sanguinis gutta una vel altera
quæ in telo remanet , inunctione unguenti ,
corpus vulneratum calefacere potest , si in
calido loco servetur , quia scilicet ipsi spiri-
tus incalescunt , mirum est cum reliquus
sanguis effusus , qui plures & copiosos spiri-
tus possidet , relinquatur , rejiciatur , aëri ex-
ponatur , corpus pariter eodem tempore non
refrigerent , cum in majori quanto semper
major sit virtus , si idem sanguis uratur , quid-
ni æger ignis ardorem sentiet , aut si sanguis
ille putrescat , quomodo corpus ipsum quo-
que non putrescit , si tanta est affinitas inter
effusos spiritus , & corpus à quo profecti
sunt ? Quæro pariter si telum defit , sufficiet
secundum illos aliud telum , aut lignum
salig-

salignum guttula una sanguinis, ex vulnere profusi, inungere. Si igitur quo tempore vicario huic telo curiosè inunctio admovetur, priùs illud telum quod vulnus inflxit, aut in ignem, aut in aquam projiciatur, cur æger non indolesceret, refrigerabitur, aut ardebit. Nulla enim est ratio cur ab una particula spirituum patiatur potius quam ab alia. Absurdum ergo est, ejusmodi calefactionem, vel refrigerationem magneticè communicatam confingere. Observabit igitur Lector quæcunque illi dicunt de sympathia spirituum inter se, vera tantum esse apud illos de particula illa spirituum, quam fingunt uniri cum spiritibus unguenti per iunctionem, & omnia quæ corpori vulnerato accidere dicunt symptomata sive bona, sive mala, inde omnia proficiisci. Sed Spiritus qui sunt in reliquo sanguine effuso nec nocere, nec prodere, sic illorum sympathia evanuit, cum tamen sint ejusdem speciei cum reliquis spiritibus. Et quis hæc crederet non esse Magica, maximè si magorum actiones cum istis comparentur. Quis non legit familiare esse Magis cereas effigies facere, quarum ope multa damna intulerunt, & præcipue quod calefactionem hanc ad distans spectat, scribit Virgilius in Pharmaceutria, *Limus ut hic durefcit, Et hac ut cera liquefcit, Vno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.* Referunt

runt etiam historiæ apud Hectorem Boëtium , & alios quosdam in imagine circa ad ignem plus satis incandescente , fuisse lento quodam igne assatos , ut Duffum Regem Scotorum : Sic in absentes calorem , frigus aliasque affectiones ad libitum inducunt , quæ naturaliter fieri non posse omnes contentur . Quis non audivit sagas unguento Magico delibutas per aërem vahi ? Sed clarissimè ad rem nostram facit quod scribit *Paracelsus de morbis invisibilibus* , si quispiam sit læsus , esse effingendum pedem , vel manum , aut aliud membrum ad formam ejus quod ægrotat , vel etiam imaginem totius corporis , atque illam esse inungendam , & obligandam , non dolentem hominem , immò & aliis morbis decubentes pari modo esse sanandos scribit . Quis hæc naturaliter fieri credat , & tamen non minus facile est hic recurrere ad virtutes magneticas , & sympathias , spiritumque Mundi , quam in unguento armario . Hic sunt exempla curationum Magicarum ad distans , quæ omnino similes sunt inunctioni teli , nam sicut imago inungitur & obligatur ad curandum vulnus , sic & telum ; & sicut imago igni admota , aut gelu imposita absentem urete , aut congelare solet , sic & unguentum telo illitum ; & sicut Rex Scotorum apud Boëtium circa imagine fermè consumptus fuit , facile idem

idem vulnerato ex inuncto telo accidere potest, si qui inungit malitiosè telum ad ignem, aut eo loco collocet, ut damna sua ægroranti communicet, quis non videt idem esse posse maleficii genus? Si qui ope imaginis hæc præstat diabolo vectore uititur, qui est spiritus hujus Mundi, verisimile est eundem esse autorem istius curationis, quam magneticam vocavere, ut scilicet virus suum occultarent specie naturalium actionum. Et meritò ob authores Magiæ suspectos ipsum remedium suspectum esse debet. Nam *Paracelsus* & *Crollius* variis in locis magiam laudant; & Medico necessariam esse volunt. Nonponamus autem nihil hic adesse Magicum, curationem tamen falsam esse & inanem ulterius probabimus. Quintò igitur, si spiritus sanguinis operatur omnia, & unguentum analogiam habet & familiaritatem cum spiritu qui est in sanguine, cur pariter alii morbi curari non possunt, roboratis spiritibus, & balsamo sanguinis: nam fatetur *Crollius* fieri curationem à balsamo sanguinis, spiritus enim & balsami virtutes in corpore omnia perficiunt. Sextò si secundum *Hartmannum* sal sanguinis fixus absque inunctione non attraheret spiritum ex unguento, sequitur nullam hic adesse vim magneticam, quia contactus corporeus necessarius est, & hinc pariter sequetur absque

simili contactu corporeo non posse ad distans operari, nec vires suas usque ad vulneratum diffundere. Sanguis vel vires habet in se ipso, vel ab unguento. Si in se ipso, frustra est unguentum. Nec ab unguento, quoniam ipsum unguentum sympathiam cum spiritibus ægrotantis, quam habere dicitur, obtinet à sanguine, carne, adipe, & usnea, quæ illius compositionem subeunt, ratione spirituum, qui in illis rebus remanere creduntur, sequitur unguentum nullas habere vires, quæ non antea in spiritibus laterent, & sic quoque frustra esse unguentum concluditur. *Seprimo* spiritus in sanguine, adipe, usnea vel diversæ sunt, vel ejusdem naturæ. Si diversæ sunt inter se naturæ, haud dubiè diversas quoque habent vires, nec eandem cum omnibus sympathiaz rationem, sed spiritus sanguinis cum sanguine, spiritus carnis cum carne, spiritus usneæ cum cranio majorem habent affinitatem. Propterea ut rectius curatio succedat, & sympathia servetur, præter ægri sanguinem, & adeps, & ossa illius deberent cum telo unguento imbui, ut completa curatio fieret, & magnetica virtus absque errore ad partes affectas deferretur, siquidem non eadem est in predictis spiritibus. Si verò spiritus hi omnes ejusdem sunt inter se naturæ, frustra tam curiosè sanguis, adeps, caro, & usnea admiscetur,

scentur, cum solus sanguis qui omnes istos spiritus complectitur, sufficere possit. Octavò legi historiam equi cuius pedes clavo lari fuerant, ad curationem clavus prædicto unguento fuit inunctus, sicque equus convalluit, idemque etiam *Crollius* fatetur. Unde sequitur esse quandam sympathiam & familiaritatem inter unguentum istud & spiritus equi, fateturque vir quidam doctissimus, eandem virtutem balsamicam esse in homine, & in equo. Quæ si vera sunt, frustra præfertur sanguis humanus equino, quæ enim sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: imo vult *Crollius*, non equum solum, sed & omnia animalia carnem & ossa habentia, hoc unguento posse sanari. Et revera si curatio hæc certa esset, etiam quodlibet unguentum vulnerarium non minus idoneum foret, quoniam illius vires ad ægrum, mediante spiritu pariter defterri possent. Nonè cum vulnerum curatio non tantum simplicium, sed etiam maximorum & internorum à natura sola sæpius perficiatur: nam unire, carnem generare, opera sunt naturæ non artis, & fateatur *Crollius* in hâc curâ magneticâ etiam balsamum naturale operari, mirum est cur non ipsi ægrotanti linimentum istud applicetur, cur ulcera non curet, cum omne vulnus tandem fiat ulcus, cum ex ulceribus etiam sanguis exire possit, cum præcipuæ indicationes

vulneris, etiam in ulcere reperiantur. Cur ad vulnera sclopetorum & cum jactura substantiae partium curanda non adhibeatur? Cur *Crollius* vulnera nervorum, arteriarum, & membrorum principalium exceperit? Scilicet valet tantum ad simplicia, & solitaria in carne vulnera, quae natura sola deligatione, vibalsami naturalis, id est calidi innati, conglutinat, inde facile est, cum quotidie vulnus & linteis mundis, & recenti lotio detergeatur, illud sponte coalescere absque ultra unguenti alicujus administratione. Inutile igitur istud unguentum erit. Non est ergo quod experientiam nobis obtrudant, nam haud dubiè absque unguento ejusmodi vulnera curari potuissent. Unguentum enim istud nec vulnerum excrementa discutit, aut expurgat, nec partium temperiem conservat, corporis enim partes quae possunt vulnerari, variae sunt, sanguineæ, spermaticæ, nervosæ, membranosæ, carnosæ, homines ipsis biliosi esse possunt, aut sanguinei, melancholici, pituitosi, plethorici, cacockymæ, & quibusdam aliis morbis etiam laborare, quibus omnibus non potest unicum unguentum esse accommodatum. Et de his satis.

CAPUT XLIX.

*De curatione Strumarum qua dicitur fiscis
per contactum septimi fetus.*

Quoniam mihi innovuit nuperimè quosdam qui se septimos fœtus masculinos esse prædicant, mira polliceri circa sanationem strumarum, quam solo contactu se perficere profitentur, siveque populo nimium credulo frāudem faciunt, pauca de his dicenda sunt. Rogatus autem à quibusdam primariæ notæ Medicis hoc caput addidi; Et quidem morbos quosdam solo remediorum quorundam contactu interdum sanari, præstantissimorum Medicorum authoritas suadet. Talia sunt amuleta, & periaptæ quædam, sicut *Galenus* appensam pœoniam probat ad Epilepsiam, alii lapidem aëtitem fœmori alligatum ad partus difficultatem, variaque ejusmodi exempla apud authores periuntur, quæ plurimi se observasse dicunt, quanquam prædicta exempla de pœonia, & aëtite lapide mihi periculum interdum facienti nunquam successerint; Non nego tamen occultos plurimarum rerum consensus & dissensus, nec experientiæ, præstantiumque Medicorum authoritati repugnare cupio. Verum longè majus est, quod se posse isti profitentur, scilicet solo contactu stra-

§14 DIX VULGE ERRORIBUS

mas sanare, idque quia septimi fœtus sunt. Id autem naturale esse vix quisquam crebet. Quod enim naturale est, ab intimis pendet principiis, omnique individuo illius speciei, si in columne illud sit, & naturaliter tene habeat, convenit, ut omne Rhabarbarum purgat bilem, omnis homo risibilis est. Nec pendet à numero, siquidem numerus nullam habet agendi vim secundum Philosophos: actiones enim sunt suppositorum, & à forma rerum dependent. Verum septimus iste fœtus vim habere dicitur peculiarem, quæ sex fratribus prioribus denegata est, quia scilicet septimus est. Necesse igitur ejusmodi vim aliunde dependere, cum nec à forma, nec à numero proficiatur. Non quidem à contactu, quoniam tactus quæ tactus vim solam habet tangendi. Quod si virtus quædam vel noxia vel salutaris inest corpori, ea per tactum quidem communicatur. Verum ipse tactus eam vim non possidet. Præterea cum omnium morborum curatio solius causæ de pulsione perficiatur, strumas pariter isti thanaturgi non nisi sublata causa tollunt. Cum autem strumarum causa secundum Medicos pituita sit, in glandulis confirmata, quæ in aliis partibus alios morbos parit, eodem contactu, eadem virtute aliis morbis ab eadem causâ profectis posset opitulari. Quod cum non fiat, necesse est vel miraculosam esse

esse curationem, vel ægrotantis imaginatio-
ne totam inniti. At cum ægrotantium ima-
ginatio variè sese habeat, in quibusdam for-
tior, in aliis imbecillior sit, incertus haud
dubiè ex incerta causa eventus sperari debet.
Miraculosam igitur esse necesse est, aut fal-
sam, & Dæmoniacam. Miraculosam esse non
facile credendum est. Contactu olim sanab-
bant Apostoli, & primi Christiani, ad majo-
rem Dei gloriam, & Christianæ religionis
incrementum. Verum non temere ad cu-
juslibet arbitrium miracula fieri vult Deus,
sic quod olim fecerunt Apostoli, non propria
virtute, sed Domini nostri Jesu Christi no-
mine se perfecisse docuerunt. Ideo septem
illi fratres filii Scevæ Judæi, qui pariter eo-
dem nomine adjurare voluerunt Dæmones,
temerariæ audaciæ poenas dederunt vim à
Dæmone passi. Sic non licet temere mira-
culorum effectionem aggredi. Pariter Gal-
liæ & Magnæ Britanniæ Regibus ex gratia
Dei, concessa est vis hæc strumas sanandi,
quæ aliis Regibus Christianis denegata est,
sicut etiam sanctus Edvardus Rex ob sin-
gularem pietatem non solum strumas (quod
privilegium ad successores dimanavit) sed
etiam alia ulcera solo contactu sanabat, quod
tamen successores non possunt. Cum igitur
eiusmodi gratia solis prædictis Regibus con-
cessa sit, & tota in nomine Domini nostræ

Jesu Christi perficiatur, si idem alii Reges conarentur temeraria ea foret, atque audax nimium divini numinis tentatio, qui hanc pro testatem ipsis noluit concedere. Unde in Hispania ipsa, ubi morbus hic scrophularum quasi endemius est & popularis, Franciscus primus Gallorum Rex captivus, eas contactu suo ut in Gallia solebat, curavit: quâ de re extat Epigramma Marulli.

*Hispanos inter sanat Rex Chæradas, et que
Captivus superis gratus ut ante fuit.
Indicio tali, Regum Sanctissime, qui se
Arcent, invisos suspicor esse Deo.*

Notandum præterea prædictos Reges, quibus Deus id concessit, non habere id dominum nisi cum certa conditione, nec transire vim istam ad successores, nisi sint legitimi, & in Christianâ fide permaneant. Nam si prædator quispiam (ut fuerunt olim, Deulque novit qualia futura sint regnorum fata) legitimum principem imperio dejiceret, una cum regno virtutem hanc sibi non acquireret: Nec pariter si Regum legitimè sibi succendentium quispiam (ut varia sunt hominum ingenia) abnegata religione Christiana, ad aliam deficeret, jus istud retineret. Beatus enim Remigius, cum cuius unctione ad Regem Gallorum potestas hæc dimanavit, optimus

timus haud dubiè hujuscè rei Interpres vim hanc concessam Regibus edixit, quamdiu in Catholicâ fide sint permansuri, insinuans celsaturam eam si quando ab hac fide deficerent. Hæc cum ita sese habeant, quis crederet quibuslibet hominibus, similem vim datam esse simpliciter & absolutè à nativitate perpetuam, quam soli Reges solummodo cumunctione consequuntur, atque sub condicione si sint in fide Christianâ constantes, cum Deus miracula non faciat, nisi ad majorem sui gloriam, & fidei confirmationem; Nec probabile est Deum donum hoc jam ejusmodi viris prius concessum, & propterea satis vulgare (cum septimus fœtus non sit rarissimus) Regibus in pietatis testimonium; & tesseram indulssisse, quod pariter alii possident, quibus interdum nulla religio est. Quod igitur Deus Regibus largitus est, tale esse debuit, ut ob raritatem & singulare privilegium, Dei gloriam magis patefaceret, quod non foret, si jam simile quibusdam aliis natalium jure tribuisset. Nec reperitur ulla promissio à Deo facta septimo fœtui, nec ante religionis Christianæ prima incunabula, nec postea, & mirum nullos fuisse Apostolorum tempore septimos fœtus qui cum ipsis de virtute patrandi miracula concertarent, cum tamen haud dubiè plurimæ familiæ numerosissima sobole luxuriarint. Propterea certius

318. De Vulgi Erroribus

tius est Diabolicam esse ejusmodi curationem, si ulla est. Scimus enim Diabolum Dei æmulum, ut illius cultum minuat, eadem imitari quæ Deus fecit, sicut virgas Magorum arte fallaci vertit in Serpentes, & ex confessione quorundam Magorum recentiorum in conventibus Magicis, venerandos Ecclesiæ ritus mimicè repræsentari curat; Sic pariter ut virtus hæc eximia, quam Regibus concessit Deus, veniat in contemptum, per nefarios suos emissarios idem tentare audet. Verum Deus gloriam suam non dat alteri, non patitur vera à Dæmone fieri miracula, sed fallacia tantum & adumbrata. Ideo haud dubiè hunc Strumarum morbum aut nullo modo curant isti homines, quod facile experientia doceri potest, aut Dæmon ut in aliis morbis solet, per agentia naturalia, quo-ruin vires habet cognitas, morbum hunc citissimè sanat, quod idem facere possint Medici, si omnis naturæ virtus ipsis foret explorata. Notandum tamen est morbum hunc pueris esse magis familiarem, atque fieri à pituita, quæ ætatum successione ex caloris incremento dissipatur, morbusque sponte cessat, quod multis etiam puerorum morbis est familiare; quod si contingat, non tangentis cuiuslibet incertæ virtuti, sed naturæ tribuendum, quæ morborum medicatrix ab Hippocrate vocatur.

C 4.

CAPUT L.

Vena sectionem non pingue facere.

MOrborum omnium duas esse causas plethoram & cacochymiam omnium consensus. Plethora sanguinis ubertas est, quā qui laborant ut olim Athletæ, & etiam nunc plurimi, corpulento & carnosō sunt corporis habitu, atque etiam valdè pingui. Ea si vitium fecerit, aut minetur, solâ venæ sectione & copiosâ, & saepius repetita demissi potest; Hippocrates aph. 3. libri primi, non pinguedinem, sed *έντερα* bonum habitum vocat nimiam illam sagitationem corporis, simulque periculosa, ne calor nativus strangleatur, vasa disrumpantur, quam statim solvere oportet. Omnes morbi præsentes aut imminentes qui sunt à plethorâ venæ sectionem postulant. Inter remedia eorum qui nimia corporis pinguedine laborantes emaciari cupiunt, venæ sectio quasi præcipuum recensetur. Hunc affectum vocant Græci *πνευματικίας*, *πνιγμα*, latini etiam corpulentiam, obœsitatem, pinguedinem, quæ si nimia sit, corporis pulchritudinem, actiones labefactat, vitam breviorem facit, apoplexiæ & asthmati obnoxios reddit, de quibus tamen hoc loco nequaquam loquor, sed de iis solum qui carnosū sunt & *έντερα*, & se nimium

520 DE VULGI ERRORIBUS

mium pingues simul esse putant. Hi refor-
midant venæ sectionem , ne magis pingueſ-
cant, quod quantum à vero abhorreat, paucis
explicabo: Omnis bonus corporis habitus,
bonæ coctionis est argumentum, sunt tamen
variæ hominum constitutiones, unde quidam
vasis amplis tamen non pingueſcunt, & alio-
rum respectu macilenti sunt , qui tamen re-
spectu sui ipsius carnosiores sunt uno tempo-
re quam alio. Tales ut plurimum biliosi sunt,
aut melancholici , in quibus major fit insen-
ſilis transpiratio quam in aliis ob caloris co-
piam', corporis raritatem. His carnosiores
ſolent esse ſanguinei , quorum calor tempe-
ratiōnē , humores mitiores reddit , minusque
refolvit , ex qualibet obſtructiōne in febre
synochon facile incident , hæc autem febris
nec in gracilibus , vel qui raro ſunt corporis
habitu, nec in frigido corporis temperamen-
to , nec in frigidā ætate excitatur , ſed ætate
& temperamento calidis , bono ſanguine af-
fluētibus, carnoſo denſoque corporis habita
præditis. His ſanguinem uſque ad animi de-
liquium veteres mittebant. Nostro tempo-
re copiosam vacuationem imperamus , aliter
vix demi potest. Non eſt tamen prorsus fal-
ſa populi opinio , venæ ſectionem etiam im-
pinguare, modo probè intelligatur. Scilicet
eos qui ex ſanguinis vitio ſeipſis macilentio-
res facti ſunt. Omnis febris exiccat , & tan-
dem

dem nisi citò curetur corpus in tabem deducere posset, multorum carnes ex sanguinis fervore absimuntur, etsi non febricitent. Mulier apud Galenum ex suppressione menstruorum admodum tabida facta est. Similesque maciei causæ esse possunt, quibus venæ sectio opitulatur, putrem sanguinem vacuando, fervorem temperando, qui nutritio-nis fœlicitatem prohibent, sic mulier illa tabida apud Galenum post copiosam venæ sectionem ad pristinum corporis habitum rediit, quia rediit facultatum naturalium vigor, & integritas. At credere hominem bene sanum & ad pinguedinem inclinantem, venæ sectione magis pinguescere falsum est. Sed si ægrotarit, & tandem ipsius habitus contabescat, poterit venæ sectione curari, & pristinam corporis molem recuperare, sic lanescens sciplo ægrotante pinguior evader.

Caput L I.

Hamorrhoides non semper prodeesse melancholicā.

Non solum populi, sed etiam Medicorum quorundam hic error est, multi sunt melancholi hypochondriaci & alterius generis, quibus inter præcipua remedia, hæmorrhoidum venarum apertio imperatur, quasi venæ illæ sanguinem crassiorē quam aliæ

aliæ venæ evacuent, quod proorsus absurdum esse credo; Veterum autoritas, recentiorum, & mea experientia id persuadent inter vetustissimos Hippocrates non hæmorrhoidum per hirudines aliove modo apertionem, (quod pauci considerarunt) sed earum vi & impetu naturæ reserationem plurimis morbis à tenui sanguine generatis præcavendis & curandis utilem censuit. 6. Epidemicor. Sect. 3. ut pleuritidi, peripneumoniæ, phagedænæ, furunculis, lepræ, aliisque ejusmodi. Non negandum tamen melancholicis, atrâ bile laborantibus, insanientibus easdem prodesse, ex sententiâ Hippocratis aphor. 11. sectionis sextæ. Melancholiâ, (inquit) & nephritide laborantibus hæmorrhoides supervenientes bonum. De provocatione eorum ne verbum quidem apud illum extat, sed solùm probantur si natura sponte eas reseret. Non solùm autem fiunt à sanguine melancholico, sed etiam à quolibet alio, hoc enim fluxu natura sæpe abutitur ad sanguinem expurgandum, si quid pravi in ipso sit, aut si copiâ exuberet, ut in nimiâ sanguinis abundantia, in gravidis, aut quibus suppressi sunt menses, & in mutilis, unde sanguis copiosè fluit. Hinc Actuarius 1. methodi cap. 20. observat præter melancholicum sanguinem aperiri has venas iis qui solita exercitia intermissiones, qui pleniori victu utuntur,

quibus

quibus consuetæ ex aliis partibus excretiones ut ex naribus, utero, supprimuntur, aut quibus mos erat venam secare, Copia sanguinis non minus per has venas quam per nares interdum vacuatur. Recentiores observarunt duplices esse hæmorrhoides, quasdam à venâ cavâ, alias à venâ portâ oriri. Illas tenuiorem & puriorem sanguinem, has crassiorem vacuare. Verùm neque id semper, nam etiam satis purus per has excernitur, & interdum crassior per illas. Unde nisi natura ostendat se vacuationem hanc moliri, non sunt temerè hæ venæ aperiendæ, & si purus, rutilansque sanguis fluxerit statim suppri-mendæ, ex ejus enim vacuatione melancholi-ci pejus habent. Cum quispiam eas aperit, non potest certò sibi polliceri melancholi-cum sanguinem solùni vacuatum iri, non purum rutilantemque. Quod si consuetæ quibusdam fuerint, & ex earum suppressione facti sint melancholici, insani, nephritici, aut epileptici, eas iterum aperire non inutile foret, ut humor qui refluxum habet ad supe-riora, per loca consueta, quorum aditus præclusus fuerat, rursus effundatur. Quod si na-tura vim hanc non affectarit, non est facien-da consuetudo, ut docet Galenus 4. aphor. 25. non esse assuendum ei quæ per hæ-morrhoidas fit vacuationi, & rectè Hollen-sius aperiendas esse negat, si non tumeant,

&

524 De Vulgi Erroribus
& nunquam fluxerint. Sed si natura eò inclinaverit, ejus imitatione possimus eas aperire, aliàs nequaquam. Ettì enim natura interdum per hæmorrhoidas utiliter sanguinem vacuet, non tamen semper licet eam imitari, ut in febris interdum per narium hæmorrhagiam, sudores moibum solvit, quis audebit venas narium aperire, aut sudores provocare ante signa coctionis, aut antequam natura inclinationem suam ostenderit. Idem de hæmorrhoidibus sentiendum. Quæ tamen intelligenda non sunt de affectibus particularibus, nam in illis venæ particulares secari possunt, sic hæmorrhagiam in phrenitide, capitis dolore, utiliter provocamus, quia habent hæ venæ cum parte affecti communionem. Sic in nephriticis & spleniticis possunt ani venæ aperiri, ut in aliis nunquam, nisi natura hunc motum sequatur.

Addendum hic stultum aliud commentum de abscissione lienis in spleniticis, quod facere se quidam dicunt illæsis musculis & partibus superpositis. Sed Cœlius Aurelianus 3. Chronicæ lienem auferendum voce quidem dictum esse, non officio completū, ait, operatio periculosa, nec fieri potest sine vulnere muscularum abdominis, & peritonæi; Veteres in liene peculiare cursus impedimentum observarunt, ideo cursoribus inurebant, per vulnus etiam exempto liene vivere.

vivere animalia tradunt, inquit Plinius. Veteres lienis regionem inurebant, sed ad lienem usque ferrum non adigebant, ut describit Paulus Ægineta, sed lienem ipsum graviter vulnerare & auferre tutum non est, ob venas & arterias, quæ non possunt innoxie lædi, absque magna effusione utriusq; sanguinis. Multò minus abscedi potest securi ut tradunt sine vulnere, contusione abdominalis. Excissum in corpore remanere non posset, sine gravi putredine omnibus vicinis partibus, & toti corpori noxiâ.

CAPUT LII.

Sanguinem hircinum esse vanum ad calculum remedium.

Inter præcipua remedia quæ calculosis prodest dicuntur ex veteri errore sanguis hircinus recensetur, à quo & solo adamantem emolliri quidam fabulantur. Inde ad calculus frangendum adhibuerunt. Quidam ulterius progressi hircum saxifragis herbis diu nutriunt, ut potentior virtus lithrontriptica evadat. Sanè cum ejusmodi virtus experientiæ non respondeat, nec hircino illo sanguine solo quisquam curatus sit, rationes quibus quidam sibi id persuadent maximè sunt fallaces. Primò enim falsum est adamantem illo sanguine emolliri. Quod si foret verum

rum , non sequeretur eandem vim illi inesse in reliquos lapides , minus eti quā ad amos duros , succis acidis & acribus lapides multi solvuntur ut margaritæ ; corallia , &c. At sanguine hircino atteri ullum lapidem , non video à quoquam scriptum. Herbis saxifragis hircum nutrire non facit sanguinem magis diureticum , quam aut ipsius lac , carnes , excrementa. Nec magis quam aliorum animalium sanguinem , qui similibus herbis promiscue in pratis vescuntur . Sic aqua quædam ad phtis in ex stercore vaccino eductur , quam vocant milleflorum , quasi in illo stercore superstites sint vires omnium herbarum florume , quibus vacca in pratis vescebatur , sic pari ratione saxifragarum herbarum vires in hircino stercore , non minus quam in ipsius sanguine elucebunt. Si quis tamen aliorum autoritatibus adductus , in illo spem ponat maximam per me licet , quia innoxium remedium esse scio , sed juvasse unquam calculos nunquam potui experiri , et si saepius prescripsérím. Hircus ipse qui aliis remedium suppeditat , calculo laborare inventus. Quod si ipsi calculi ad hunc morbum prescribuntur , sciendum est eos debere aut calcinari , aut per succos acidos in magisteria ut vocant reduci , & fortitan tunc nihil valent.

C A P U T L I I I .

*Ad morbos gravidarum curandos abortum
non debere provocari.*

Mulieres gravidas multis gravibusque morbis obnoxias esse chronicis , acutisque quotidiana demonstrat observatio , qui ratione graviditatis periculosiores rediuntur , & curatu difficultiores , maximè acuti, ut febres , pleuritides , mulierem gravidam aliquo morbo acuto corripi lethale est , aphor. 30. lib. 5. duplexque est ex Galeno periculum , unum à febre fœtum inten- samente , alterum ex tenui diætâ quæ morbis acutis competit , sed gravidis nocet , tum ob necessitatem majorum remediorum venæ sectionis & purgationis ; sed quidam temerarii , si periculum nimium timent , abortus provocationem consulunt ; Est autem abortus naturali partu magis dolorosus & periculosus ob violentam divulsionem præcocis illius fructus , unde plurimæ pereunt , quædam evadunt , sed non absque gravibus symptomatis . Majusque periculum & si fœtus sit grandior , ut septimestris , octimestris , aut mulier ipsa languida , debilis , ut si morbis acutis pericolosis conflictetur . Ipsa mulier alias sana , nunquam sine periculo abortit . Quædam quoque sunt tam pertinaciter fœtum

tum retinentes, ut nullis vexatae remediis potuerint fœtum excutere. Propterea pernitosum est consilium eorum qui in morbis acutis abortus provocationem suadent. Primo in multis id facile non est. Secundò non nisi remediis periculosis & frequenter repetitis fieri potest, qui morbos acutos exacerbant, pejoresque reddunt. Tertio nec id tutum est, cum abortus ipse sit periculosus & lethalis affectus, ut ostendit experientia nam aphorismo superius laudato gravidam acuto morbo corripi lethale esse dixit Hippocrates, ob febrem, ob tenuem victimum, & periculum abortus. Afflictionem autem addere afflictæ malum, saepè interempto ejusmodi remediis fœtu mater perit. Quartò ipse partus naturalis saepissimè multos morbos non levat, multo minus abortus ullum morbum præsertim acutum curabit, potius augebit, nisi fœtus jam mortuus sit qui necessariò debet excludi. Non tamen abstinendum à necessariis auxiliis, ut phlebotomiâ & catharsi, quæ saepè abortum præcavent, qui si interdum sequatur, non remediiorum probè administratorum culpa est, sed aut morbi acuties omnibus remediis superior, aut matris fœtusve debilitas & mors. Hippocrates in suo juramento pollicetur se nulli feminæ medicamentum φθύριο daturum. Medicis est non perdere sed conservare quantum fieri potest.

CA-

Caput LIV.

*Injectiones in uterum & vesicam esse
inutiles.*

IN multis morbis uteri & vesicæ injectiones Medici præscribunt ad varios illarum partium affectus, ulcera, fistulas, flatus discutiendos, dolorem sedandum, cicatrices obducendas, gonorrhœam compescendam, & similes morbos. Verum ne credat quispiam eas vesicam uterumve intrare, & propterea istarum partium morbis prorsus sunt inutiles. Uterus in puellis, & mulieribus arctè connivet, nec unquam aperitur nisi interdum ad semen recipiendum aut foetum excludendum, idque summiâ naturæ providentiâ, ne aërem ipsi sèpe noxiū admittat, à quo nimium refrigeretur. Vesica quoque sphincter musculo clauditur qui non aperitur nisi per vim ad urinam excludendum, aut si intus adigatur catheter. Sed quæ in vesicam immittuntur per syringem, aut metrenchytem vesicæ capacitatem propterea non subeunt, sed relabuntur statim, unde iis solis affectibus prosunt qui sunt in penis & uteri canaliculis. Si intrarent illic diutius interdum quam pars est, retinerentur, non enim uteri collum ordinariè aperitur, nec vesicæ sphincter nisi irritatus acrimoniam contentorum relaxatur.

Z

Gonor-

Gonorrhœa autem virulenta, cui injectiones istæ sæpe prosunt, non est in ipsâ capacitatem vesicæ, sed in urinæ canali, aut juxta, in partibus spermaticis, ex quib[us] eructat in virgæ canalem.

C A P U T . L V.

De calice ex Antimonio, sive stibio.

VEnit non ita pridem in usum, calix ex Antimonii regalo factus, qui carè admodum venditur, & ad multa utilis esse prohibetur, tunc ab eo qui illum conficit, tunc à populo qui nova semper avidè sectatur, atque res admodum pretiosa, Medicisque hæc tenus ignota esse creditur, cum tamen omnibus chymiaæ peritis sit notissima, nam regulum ex Antimonio conficiendi ratio est admodum facilis. Ut autem populo errorem hunc admodum perniciosum explicemus, dicemus primo de ipso poculo, tunc de ejus viribus. Poculum autem non ab artificiali formâ vim suam habet, sic enim idem præstaret quodlibet poculum ex argento, auro, confectionum. Sed vim omnem habet ex Antimonio. Qui autem mineralium, metallorumque naturam investigant, Antimonium credunt, ex sulphure crudo admodum impuro, mercurio & arsenico coactare; Ideo naturæ nostræ adeo adversa est, ut quocun-

que

que modo præparetur & emendetur, in minimâ tamen quantitate magnam visceribus vim infert, & facultatem retinet malignam, quæ vix ullis infusionibus cessare potest. Si quispiam forte robustior, illius impetum sustinere potest, cum variis humoribus sursum, deorsumque illud expellit, sed imbecilliores, & ad vomendum ineptos admodum exagitat, & torquet, quocunque enim modo præparetur, vim malignam, & deleteriam nunquam exuit. Unde plurimi graves Medicis, ut *Pernellus*, *Riolanus*, *Gesnerus*, & *Medicorum Parisiensium schola*, omnem internum illius usum improbarunt, ob facultatem pernitosam naturæ nimium inimicam. Verum tamen ut populo satis faciamus, illius usum posse esse salutarem concedamus, modo ritè præparetur, & cum prudenti consilio veniat in usum. Scio autem Chymicorum artificio variis modis ipsius præparationem fuisse tentatam, ut si non omnino, saltem quadam tenus hebesceret illius malignitas, nondum tamen plenè innotuit ars illa, quæ omnino tollere possit istius medicamenti saevitiam. Vulgares autem præparations, magisque ordinariæ, quæ etiam venales in omnibus prostant officiis, sunt *regulus Antimonii*, ex quo fit prædictum poculum, vitrum Antimonii quod populus stibium vocat, (cum tamen stibium sit verum ipius

Antimonii nomen,) atque ex hoc vitro, non autem ex regulo fieri debere hunc calicem, scribit *Sennertus* in institutionibus. Præterea fiunt ex eo *crocus metallorum, pulvis emeticus, Mercurius vita, tinctura, oleum.* Atque hæ omnes præparationes unâ eademque pollent facultate, vomitoria scilicet & dejectoria, quod ostendit in nullâ prædictarum præparationum fuisse edomitam perniciem Antimonii. Cuin autem in omnibus rebus etiam pessimis sint pravitatum gradus, scire debet populus eam semper in omnibus metallicis præparationem censeri optimam, minusque pernitiosam, in quâ metalli forma perit, sit enim major separatio puri ab impuro, unde etiam omnes Chymici aurum innoxium medicamentum ita solvere conantur, ut exutâ metalli formâ potabile reddatur, nullamque illius solutionem censem, optimam, in quâ redire potest ad suam naturam, id sanè multò magis de pernitiosis mineralibus verum est. Notandum est igitur Antimonium quod nos vocamus crudum, id est nullo modo præparatum, nullam habere vim corpus exagitandi, unde veteres qui chymiae erant ignari, nullum internum ipsum usum noverant. Prima autem & omnium facillima præparatio est illa, quam regulum vocamus, in quâ non spoliatur metallicâ formâ, sed in plumbi quandam speciem liqueficit,

cit, unde *Dioscorides* Antimonium liquefactum plumbum evadere scribit, levem quandam habens reguli istius cognitionem, sit enim solummodo ex eo liquefacto, & sic paululum depurato, omnemque retinet Antimonii malignitatem, quæ antea sub terreo excremento sopita latebat. Hac utuntur plurimi metallarii artifices, eamque immiscent bombardis, campanis, aliisque ejusmodi machinis, sed cum omnes pravas & horrendas Antimonii vires adhuc possideat, poculum inde consecutum pernitosissimum esse necesse est. Ideo puriores chymici hanc omnino ab usu medico ablegarunt, nisi quod ulteriori præparatione ex hoc regulo extrahi possunt flores, vitrum Antimonii, & alia ejusmodi quam plurima, ipso regulo multò meliora. Ideo alii hujus loco vitrum Antimonii usurparunt, quo præstantissimus Medicus *Massbiolus* familiariter utebatur, stibium vocat Populus, atque illud exhorrescit, cum tamen reverâ præferri regulo debeat. Verumtamen *Quercetanus*, *Hartmannus*, aliquique primariæ notæ Chymici, maximi præcones facultatum Antimonii, hanc etiam præparationem minus tutam censem, ob permissionem impuri sulphuris. Ideo istis duabus ablegatis, tanquam minus tutis, familiarius utuntur croco, sive hepate Antimonii, pulvere emetico, mercurio vitæ, quas præ-

parationes Medici Londinenses Pharmacopœæ sive inferuerunt, nullaque ferme est officina, in qua harum tum substantia, tum infusio non sit venalis. Ex quo colligere possuat ii qui calicem hunc adeo extollunt, se perniciose remedio uti, cum tamen idem multò præstantius præparatum ubique sit obvium;

Vires autem calicis quod spectat, vomitum non leviter, sed potentissimè concitat; Omnis autem vomitus quamvis levissimus provocetur medicamentis, semper tamen quilibet per inferiora purgatione gravior est, quia stomachus non ad expunctionem, sed ad receptionem factus est, pars est admodum nobilis, & sensus exquisitissimi, maximumque habet cum cerebro, & corde consensum, qua parte affecta populus sibi cor dolere credit, & conqueritur. Partem igitur tam nobilem immisso perniciose medicamento lacetere noxiū est. Sed præterea vomitus vires totius corporis admodum exagitat, caput, cerebrum musculos abdominis, thoracem, & omnia quæ inferiori ventre continentur viscera validè concutit; interdumque venæ disrumpit, & sanguinem prolicet. Unde si aliis medicamentis purgantibus, nonnulli cum summa cæutione & præmeditatione utendum est, multò minus vomitoris, omnium

mum enim vacuationum gravissima, & periculosisima vomitio est. Ideo multa in illius provocatione spectanda sunt. *Primum* ægri natura, & ad vomendum promptitudo, vel difficultas, nam in difficulter vomentibus periculum maximum impendet, etiam si morbo laborent qui vomitu curari possit. Tales sunt pingues, angusto thorace prædicti, plurimi graciles qui ventriculum habent imbecillum, tussi, asthamati obnoxii, qui tubercula aut ulcera habent in thorace, qui imbecillo sunt capite, & oculis, quos præcordiorum inflammatio, aut dolor exercet. *Secundò* considerandum est anni tempus, non enim quolibet anni tempore convenit. *Tertiò* morborum natura, nam quibusdam morbis nocet potius quam prodest, & in quibus prodesse potest, non est tamen semper eo utendum, unde male author hunc calicem prodesse scribit, morbis omnibus, quibus scilicet purgatio necessaria est, ut dicemus inferius. *Quartò* morborum constitutio, non enim quolibet morborum tempore potest innoxie administrari. *Quintò* maxima adhibenda est præparatio corporis & humorum, tum multa ante vomitum, atque in ipso vomendi actu sunt spectanda, quæ explicata non est hujus loci. Ita ut nulla sit evacuatio quæ tantam postulet considerationem, atque hæc quæ per vomitum

institutus. Propterea cum hæc solùm à Medico, non quolibet, sed tantùm doctissimo & peritissimo cognosci possint, non possum, non admirari temeritatem quorundam hominum, qui nullis Medicinæ præceptis imbuti, omniue morborum & causarum cognitione destituti, methodi medendi prorsus expertes, audent tamen humanum corpus subiectum tam nobis, variis medicamentis exagitare, secundò vomitum, vacuationem omnium periculosissimam, & difficillimam suadere: Tertiò eam metallico medicamento, naturæ minimè familiari promovere. Quartò ad id uti Antimonio, minerali scilicet quò vix pernitosius ullum est, & demum eâ præparatione, quæ est omnium pessima. Non quod Antimonii usum omnino improbem, familiarer eni, & fœlicissimè eo sum usus, sed multò elegantius, & tutius præparato sed maximè reprehendendus author est, qui populo vile medicamentum grandi vendit pretio, cuius utendi rectam rationem nec populum docet, nec ipse opinor novit, unde multos novi ab hoc potu fuisse graviter affictos, alios etiam periisse, qui ex spreto Medicorum consilio præpostere ipso usi sunt. Remedia enim omnia quantumvis optima, sunt manus Dei, sed gladius in manu furioli, ut alibi diximus ex Herophilo. Plura sunt in

In Anglico exemplari, qui cum solum spe-
ctant qui mercimoniam hujus calicis facit,
quæ tædiosum foret & inutile hic inscrere
ne prolixior quam par est hic tractatus eva-
dat, quæ breviter hic redeunt, nam simul
cum poculo libellum vendit de viribus ejus.
Ubi 1. male Antimonium extollit supra re-
liqua mineralia, cum aurum etiam Chy-
micorum consensu sit multo præstantius.
2. Malè præfert regulum reliquis Antimo-
nii præparationibus, cum sit omnium levissima
& pessima, sed ex eò regulo possunt ul-
terius præparari flores, crocus, hepar, alia-
que similia. 3. Malè citat Patacelsum alios-
que authores qui Antimonium quidem com-
mendant, sed nequaquam regulum. 4. Fal-
sum esse curare lepram, phrenitidem, epilep-
siam, pleuritidem pulmonum & thoracis
apostemata, arthritin, luem venereum, scro-
phulas, pestem, febros purpureas, variolas,
& morbillos, cum multis ejusmodi morbis
vomitus potius noceat, quam profit. 5. Ma-
lè docet utrum poculi sui. Illud enim infun-
dit in liquore, per duas horas coquit, dein
cyathos duos tresve propinat, sine vi ope-
rari ait, atque si per tres quatuor dies ope-
rari non cesset, non sistendam purgationem
suadet, quod temerarium & pericolosum est
confilium, hypercatharsin promovere, aut
eam non sistere. Demum jubet emptorem

Z 5 suum

538 De Vulgi Erroribus

suum cavere ab adulterinis & fictitiis, quod si frangi vas contingat, novum pollicetur pretio quinque florenorum addito, nam 30. florenis emptum ejusmodi vasculum videt, sed eo fracto non pereunt vires metalli, fragmenta non minus efficacia sunt, quam integrum olim erat. Atque re bene perpendit posset quispiam trium quatuorve va- ciarum ciphum cum bono lacre pro uno vendere floreno. Ut pluribus loco citate descripsi.

C A P U T L V I .

De abusu ulciscolorum, quae fontanellæ vocantur.

IGnotum veteribus, & nostro tempore, (in Angliâ præscitum) nimisam familiare, & abhominandum, prorsusque inutile remedium, sunt ulcera illa quæ vulgo Fontanellæ vocantur, quasi scaturigines quædam quibus vitiosi humores expurgari creduntur. In Galliâ, unde primum hæc mala consuetudo in Angliam derivata est, fordidum adeoque foedum ejusmodi ulcus habetur, ut si quædam puella nubilis, aut virga, illud habeat, vix procos inveniat, si subdolè illud occulet, statim atque res nota fuerit, liceat legibus quantumvis solemniter promissum matrimonium deserere ; In Angliâ mulieres

om-

omnium maximè, & puellæ illud affectant, quorundam Medicorum persuasione potius quam verâ ratione innixa. Gratissimum hunc mentis errorem nemini adimere cupio, nec in me irritate crabrones. Quilibet suo sensu abunder. Describam primum illud remedium, *Fonticuli sunt parva ulcera ferro, vel caustico inducta, ad humores vacuandos, revellendos, derivandos, in morbis diuturnis, non in acutis qui subitas vacuationes postulare;* quasi morbi diuturni ut sunt febres quartanæ, arthritides, epilepsia obstrunctiones jecoris, splenis, hydrops, aliique similes, opprobria Medicorum, non postulent vacuationes illas confertim factas, & saepius repetitas per cathartica, si scriptoribus Medicis credendum est. Quis in ejusmodi morbis à fonticulo, nihil aut parum vacuante, auxilium aliquod sperare possit? Pthoe morbus est familiaris nimium. Huic maximè prodeesse fonticuli isti creduntur sit autem ut plurimum ex acri defluxione i apulmones è cerebro delabente. Absurdum prorsus est, credere ea quæ intus in cerebri cavitate aut substantiâ continentur, posse trans cerebri & cranii substantiam per externas cutis & muscularum compages ad fonticulum in brachio, vel in pede derivari, idque sensibiliter, atque cā copiâ quæ morbo ulli prodeesse possit, cum facile quisque

experiri queat, se plura & crassiora uno impetu expuere quam fonticulus intra biduum vacuat. Morborum causæ plethora & caco-chymia quæ in internis corporis partibus sive intra, sive extra venas stabulantur, purgationibus per alvupi commodius quam per habitum corporis vacuantur. Natura quidem interdum criticè per sudores, & ars naturæ imitatione per sudorifica multorum morborum causas per habitum corporis resolvit, sed maxima differentia est inter confortam vacuationem, & exiguum illam quæ fit per fonticulos. Natura quoque abscessus molitur, etiam criticos, qui nisi resolvantur, in ulcera degenerant, eaque etiam interdum fistulosa, quibus magna humorum saburra evacuatur, quâ vacuatione sæpe corpus contabescit. Multa in cruribus pariter sunt ulcera dysepoliota maligna cum humorum copioso affluxu, varicibus, sordibus, putredine, aliisque in partibus; Ulcera hæc contumacia, remediis facile non cedunt, etiam decenter administratis, ex Galeno cap. 5. libri quarti methodi; fonticuli remoto globulo sponte sanantur, quod ostendit nullum esse humorum affluxum. In illis major copia saniei & virulentiae semper effluit, quam pro ulceris magnitudine. In his admodum paveum sæpe est quod effluit; In illis labia partesque vicinæ intumescunt, eroduntur,

dila-

dilatantur, coque magis quo copiosior & acrior fuerit humor fluens. Hi vero suam vix servant capacitatem, & nisi globulus interdetur, statim intra paucos dies coalescent. Fistulæ quoque profunda sunt ulcera, cum cavitatibus & amfractibus multis, quæ sæpe ideo non curantur, quia natura supervacuos humores per hos meatus expurgat; Fonticuli sunt ulcera ut plurimum superficiaria facile ut dixi curabilia, quibus raro natura quicquam evacuat, & quod excernitur excrementum solum partis est, quæ imbecillior reddit, adveniens alimentum probè non concoquit. Nullus est qui si ulcera ipsi sponte pullulent, non statim curationem postulet, etsi plurima ex iis sanies emanet. Quam parum judicosè faciunt, qui sibi ea inuri cupiunt, in perpetuum aperta servant. Nam & hic etiam alter error est, eorum qui credunt non sine pernicie & periculo occludi posse, quod de his ulceribus verius non est, quam de aliis quibuslibet, quæ innoxie curantur, etsi ex illis humores pluri-mi exeat, qui intercipiuntur, repelluntur, revelluntur; Sæpe quoque quæ prodit sanies, non est latitantum in corpore vitiosorum humorum soboles, sed etiam ex bonis procedit, quos Natura ad partem debilitatem nutriendam transmittit, ubi corrum-puntur, & in saniem istam vertuntur, sicut

in multis aliis ulceribus fieri solet, intemperatis, dolorosis, ichorosis, virulentis, contusis, & similibus, quæ humorum magnam fluxionem patiuntur, & tamen innoxie curantur. Fonticuli autem ad horum naturam nequaquam accedunt, sed ut plurimum sunt ulcera boni moris, non admodum profunda, quæ quia facilè curabilia sunt, ostendunt non pati magnas fluxiones, & sic propterea inutiliter servari, nam si copiosa adeflet fluxio, fierent prava, dyspepsulota, quod vix unquam contingit. Sæpe ante menses plurimos humorum ad locum affectum non fluit, nequaquam etiam tunc admodum copiosè, quod si impetus humorum major sit, periculum est ne mali moris evardant, & tunc occludi debent. Quia autem ut plurimum innoxie gestantes, & populus de iis benè sentit, concedendum est aliquid populi phantasiaz.

C A P U T L V I I .

De vanitate plurimorum remediorum.

IMmensi foret laboris omnes errores populi circa remedia, sigillatim persequi. Ideo plurimos uno capite concludemus; & primo inanè protinus commentum est dari universalem Medicinam, quam Chymici multi pollicentur, sed quænam sit, qualis sit, quis eam invenerit ignotum. Deus qui tantam

tam rerum varietatem creavit, singula admirandis virtutibus donavit, noluit irritas illas omnes uno medicamento reddere; cum morbi varii sint prolsusque inter se se aduersi, qui varia & discrepantia postulant remedia, non possunt unico remedio sanari. Num calefacere refrigerare, humectare & siccare simul poterit, tabem curare, hydropicorum aquas simul vacuare, calculos, arthritim, lueam venereum solvere; omnibus venenis, omnibus humorum vitiis adversari, quorum dissimiles prorsus sunt naturae, absque purgantium alterantiumque ope. Omittam hic luxationes, vulnera, morbosque figurae & conformatioonis, quos recte quidam huic medicinae nos subjiciunt. Sanè si tale daretur remedium, hactenus. *Nos frustra in nungis totos consumpsimus annos. Et tulimmo*
terrica jurgia lenta Schola; Frustra ex arte
Medica morborum diagnolis, prognosis &
therapia repeterentur. Frustra simplicium
cognitio, electio & preparatio; frustra in
usum hominis creata reliqua sunt reme-
dia. Qui volunt eam nativum calorem
roborando operari, etiam decipiuntur, nam
videmus multa naturam roborare, quæ ta-
men morbos non curant, si natura quando
integra erat morbos præcavere non potuit,
quomodo eos jam factos curabit, si noxios
humores non prohibuit quin generarentur,
quo-

§44 DE VULCI ERRORIBUS
quomodo genitos absque alterantium & va-
cuantium ope emendabit & absumet?

I I. Inanis prorsus cura est quæ fieri dici-
tur per characteres, yerba, figuræ Magicæ,
nam hæc nullam vim habent naturalem, om-
nis actio à formâ est, aut qualitate physica,
at figura characterum, cum sit artificialis,
nullam vim habet naturalem in naturalia,
nec in ipsum subiectum in quo inest. Mate-
riam Characteris, æs, aurum, gemmas, hanc
vim nequaquam habere omnes confitentur.
Figura vim eam ab artifice non mutuatur,
qui eam ipse non habet, nemo autem dat
quod non habet; nec à seipso eam possident,
quia figuræ nulla est vis & efficacia, cum sit
affectione quantitatis quæ per se inefficax est;
Cum etiam actio sit inter contraria, nulla est
contrarietas inter figuram & rem naturalem.
Unde à Coelo eam repetunt istius curæ fau-
tores; Coelum autem eam vim vel non ha-
bet, & sic eam dare non potest; vel habet,
tunc quid prohibet quominus absque figura
eam in corpora nostra insinuet? Videmus
calorem lucem, & reliquos cæcos influxus
absque hac configuratione operari. Non opus
est charactere ut mare extuet, magnes pe-
lum spectet, ferrumve trahat. Figura ut fi-
gura non habet vim hanc; Cur enim hæc
potius quam illa, neque ut talis, quia talis est
ab arbitrio figurantis, secundum ideam
quam

quæ in mente habet, quæ etiam idea non habet vim agendi in exteriora. Nullam enim habet perfectionem virtualem aut formalem rerum quæ producuntur. Dicere characterem Leonis, vel scorpis, vim habere à cœlesti Leone vel Scorpio, mera est phantasia, quia revera non datur talis in cœlo depictus vel Leo, vel Scorpius, nec si esset, sequeretur illum agere per figuram suam. Qui igitur putant epe ejusmodi figurarum fieri posse, ut morbos quosdam fugiant, vel inferant, vim venenosam à se rejiciant, alias enecent, falluntur & fallunt, nisi eam actionem in Deum aut Demonem rejiciant, & potest interdum solâ vi imaginationis ejusmodi effectus sequi, sic ejusmodi figuræ non sunt causæ naturales illius effectus: Paracelsus suas figuræ fatetur esse Magicas, diaboli syrups & apozemata vocat. Eadem ratio est de verbis, quæ naturâ nihil, quantumvis maximè barbara, sed impositione tantum significant, unde linguarum diversitas in re eadem explicanda. Res autem per qualitates & potentias sunt efficaces. Si aliquid apud Dæmones significant, id ex eorum instituto est, quibus patiuntur se advocari. Vox quatenus est sonus, tantum auditum alterat, aut per accidens per animi pathemata, quæ non verbum ut sonus est, sed res significata commovet, ut fusc explicat Delrio in disquisitionibus

III. Falsum est quod quidam putant dari medicamenta alterantia, & purgantia quæ stomacho excepta unam potius partem, quam aliam roborent aut purgent, unde cephalica, hepatica, splenica remedia, &c. dicuntur, Quod prorsus falsum est, nam quatenus agunt manifestâ qualitate primâ calefaciendo, refrigerando, vel secundâ ut laxando adstringendo, aperiendo, &c. necesse est ut prius partes eas alterent quas tangunt, quomodo alterabunt renes, aut caput, nisi partes interpositas prius intinxerent? Quævis tam prudens est quæ beronicam capiti, asplenium licieni distribuit. Si quædam vacuant caput, prius regionem primam corporis & secundam exhaustant necesse est, in quibus idem humores esse possunt, non enim partes ipsas, sed humores ex partibus ad alvum trahunt remedia; Unde sæpe admiratus sum fraudem quorundam qui pilulas cephalicas præscribunt. Sciat populus hanc esse imposturam, nam ventriculo exceptæ illam primum regionem, demam caput consecutio ne quadam si satis validæ sint expurgant, & id quælibet purgantia faciunt, aloe non minus quam agaricus, &c. modo eâ quantitate exhibeantur quâ possint eorum vires in corpus sese expandere. Falsum enim purgari caput ope pilularum per attractionem humo ris

ris per os in ventriculum, ut cap. x. dixi, id enim fit per venas. Methodici, Galeno admodum odiosi, quia illi olim Romæ clari, ipse obscurus vivebat, viri tamen doctissimi, ut appareat ex fragmentis quæ supersunt sora-
ni, apud Cœlium Aurelianum, irridebant peculiares istas medicamentorum facultates, quæ certis corporis partibus tribuuntur, nec alia jecoris, alia lisenis esse medicamina rectè senserant. Omnia etenim omnium corporis partium sunt communia, quando similis af-
fecta fuerint passione; Regulanter enim five diriguntur eorum virtutes, non natura patientis loci, sed genere passionis extenta, atque indulta pro modo morborum. Et pro mag-
nitudine passionis ē virium corporis exten-
duntur atque indulgentur adjutoria, ē non pro specie patientis partis. ait Cœlius 3. tar-
darum passionum cap. 4. Objicit quispiam lepotem marinum peculiari vi pulmones, cantharides lœdere vesicam. Sed utrumque prorsus falsum est, id enim non sit illæsis aliis partibus, ut appareat ex *Dioscoride*, *Nican-
dro*, *Aëtio* & aliis; nam sumpto lepore ma-
rino alvus dolore afficitur, urina fistitur, aut
purpurea emittitur, bilius fit vomitus, in-
terdum & sanguinis, sudor fœtidus emanat;
corpus fit ictericum, facies livescit, renuni
sequitur dolor, virilium inflammatio. Hoc-
cine est solos pulmones afficere. Qui can-
tharides

tharides sumunt ab ore ad vesicam cuncta erodisent iunt, ait Dioscorides, quod sufficit, nam plura symptomata prædicti scriptores recensent.

IV. Erroneum quoque est quod multæ mulieres credunt dari medicamenta peculiari virtute menses moventia, lac aut semen generantia, urinas moventia. Galenus quidem vult hæc omnia inter se convenire, sed gradibus tantum differre, lac provocantia calida esse, sed non sicca. Quæ provocant menses calida esse, & parum sicca. Diuretica calida & sicca. Quæ sententia prorsus falsa est, nam Petro selinum, fœniculum, azarum, meum, urinas & menses simul movent ipso confidente. Non enim moventur menses ullâ peculiari medicamentorum vi, ignoratum enim est sanguinis catharticum, sed tantum per accidens quæ sanguinem attenuant, vasorum obstructiones referant, facultatem irritant, ea obstructiones jecoris, lienis, renum, omniumque viscerum tollunt, & sic menses simul promovent, non peculiarj vi quam utrum magis quam alias partes respiciant. Sic de aliis.

V. Ne credant mulieres dari ulla medicamenta quæ occulta vi & proprietate sterilitatem inducunt, nullos in corpore morbos generando, nec lædendo genitaram; Recensentur ab aëtio plurima, *at radix feminæ*

fœmina pota , pulvis hedera , os de corde cer-
vi , matrix mula & capra , lapis gagates ,
Aëtites , Smaragdus , Sapphyrus , camphora ,
cicindela , acerum , sisimbrium aquaricum , fa-
ba , aliaque plurima . Si mulier temperiem
habuerit ad conceptionem idoneam , & se-
men exceperit , benè prolificum , non nisi la-
befactatà ejusmodi seminis aut uteri tempe-
rie generatio impedietur . Nam quæcunque
generationem prohibit , vel semen aut san-
guinem menstruum in uterus recipi vetant ,
vel receptum corruptunt , vel effluere si-
nunt , aliaque adsunt uteri vitia , quæ hoc lo-
co describi non debent . Nulla quæ occulta
qualitate id præstare possint , sed per accidens
favendo aut inducendo quasdam intemperies
& alia vitia generationem impedientia . Præ-
dicta quæ id facere dicuntur sunt mera men-
dacia , sicut & id quod veteres scripserunt ,
tempore belli mentham ne seras , quod tor-
quet nostros interpres , cum sit mera stul-
titia , sponte invitis nobis crescit , nec est olus
multis familiare , & si esset non noceret .

V I. Errare maximè videntur qui partes
volunt similium partium comeditione robo-
rari , ut cerebrum , cerebro , jecur jecore , &
sic de reliquis . Quænam quæso vis hæc in
ventrem ingesta ita sollicitè ad sua loca
amandat , & à reliquis sanguinis partibus se-
cernit , ut cerebrum petant ? Quam benè fa-
cerent

cerent amentes si cerebro semper vescentur, podagrī trunculis, quodnam quæso cerebrum, quod jecur eligendum? An promiscuè cujuslibet animalis, aut speciatim hujus potius quam illius. Quis unquam expertus est se ex usu cerebri factum fuisse magis cerebrosum, aut intelligentiorem, sola enim experientia id potest indicare. Adde quod pravissucci sint ut plurimum hæc viscerā comesta, & propterea non sunt admodum desiderandi hi cibi, forent verò si similia viscera roborant. Cor coctū est difficile, fibrosum siccum, jecur dyspeptum est, & crassum præbet alimentum, magis minusve pro animalis ætate. Lien quoque succum crassum & melancholicum præbet: Renes etiam nūlū sint juniorum animalium, cerebrum pituitosum est, facile nec coquitur, nec distribuitur, nauseam concitat. Ventriculus & intestina durioris sunt substantiæ, difficillimè coquuntur, paucum sanguinem, eumque frigidum præbent, nec satis bonum. Quis credit horum singula primū cotta, dein inventriculum ingesta, illicque in chylum transmutata ad congeneres sibi partes proficiunt, ab iisve attrahi & sic renes renibus potius quam jecori opitulari; Illa opinio fuit merum somnium ignorundam qui nullam hujus rei certam habebant experientiam. Ni si quis solū cerebris aletetur, (quod impossibile

possibile est,) non minus inde alimentum renes, pedeſve caperent, quam ipsum caput. Ventriculus & intestina cocta scilicet vel elixata, vel frixa ventriculo viventis excepta in chyllum transmutantur, quo chylo non alitur ventriculus, sed in hepatē sanguis evadit, redditurus, si Diis placet, ad ventriculum, ut illum roboret, & sustineat. Apage ista somnia.

VII. Dubium maximè mihi videtur an ulla medicamenta purgantia unum potius quam aliū humorem naturæ suæ proprietate purgent, ut placimi à Medicis persuasi, patant. Sanè si id falsum esse ostendatur, multi similes errores aperientur, qui inde dependent. Id autem ostendere erit facilius. Primo ex Fernelii, Galeni, & aliorum confessione qui alienum humorē vacuari concedunt, quemvis obvium, ad fluendum aptiorem, aut qui immodecē exuberat, aut in viā purgationis subsistit. Fatendum igitur est posse quemlibet humorē quolibet pharmaco vacuari, modo sit obvius; At quae nam causa est quod non sit obvius? Dicent id fieri si sit in parte densâ, adstricta, vel obstructa, vel in longinquas partes disjectus, Rhabarbarum secundum illorum errorē purgat electivē bilera, sed pituitam & atram bilem si ipsi in viā occurrant. Non occurruunt autem quando sunt in cerebro, aut

§§: De Vulgi Erroribus
aut in artubus, aut corporis habitu. Sic etiam tunc non trahet ipsam bilem, si prædictis partibus coerceatur. Trahit igitur illam tantum quando obvia sit. Sed augeamus rhabarbari istius quantitatem, tunc pituita & atrabilis ipsi occurrat, & ex eorum confessione hos humores educet, quia obvii sunt, cur enim ex una parte quolibet humores obvios educeret, ex aliâ non item, si pariter obvii sunt. Deinde nisi id esset verum, nunquam ex vehementi cathartico fieret hypercatharsis; Patent enim violenter medicamentum proprio humore detracto, alios invadere, tenuiores, post crassiores, demum sanguinem. Inde concludo electivè non purgare hoc medicamentum, alias proprio humore detracto, alios non evocaret, sicut magnes, (cujus exemplo utuntur) si acervus quidam sit, æris, argenti, ferræ, palmarum, &c. solum ferrum allicit, quia id electivè facit. Ne dicat quispiam hypercatharsin fieri ob medicamenti calorem, & acrimoniam, quæ venarum oscula recludit, naturam adeo proritat, ut humores coercere non possit. Verum si ea causa foret, alii hum, pyrethrum, piper & similia acria purgandi facultatem sortirentur. Id igitur facultate fit purgante, quæ cum generaliter quolibet humores respiciat, si potentior sit quam natura postulat, effrænata sit purgatio humo-

humorum. Hippocrates id bene vidit, et iam sibi non constet, si eidem homini, inquit, idem medicamentum quater in anno exhibeat, hyeme piemotis vacuabit, vere liquidissima, astac biliosa, autumno nigerrima. Scilicet pharmacum quos humores invenit, eos evacuat. Erasistratus quoque voluit quodlibet medicamentum omnes humores vacuare, primò tenuiores, dein crassiores, prout validum fuerit, aut imbecillum. Secundum Hippocrat. venæ sectio & purgatio iisdem affectibus ut pleuritidi convenientia, sicut igitur venæ sectio vacuare potest omnes humores, sic & pharmacum; Popium idem prescribit ad pleuritidem, quod atram bilem solam vacuare creditur. Malè autem prescibitur, si bilem flavam etiam non vacuat. Idem variegatas probat dejectiones si tales à medicamento fiant. Ideo vim habet plures evacuandi humores. Id maximè patet in compositis, que non purgant electivè. Extractum Catholicum drachmæ unius dosi abunde purgat. Non purgaret autem, si electivè id faceret, quia nullum est in eâ compositione simplex, quod eâ insit quantitate, quâ proprium humorem allucere potest. Unde alia purgante vi operetur necesse est, & unum ab alterius mistione adjuvari. Quod dicunt quædam habere vim duos humores vacuandi, merum est

A a efflu-

effugium, quia ut vidimus omnes vacuare potest. Adde quod Senna colorem dat subfuscum, rhabarbarum croceum, unde illa melancholiam, hoc bilem vacuare creditur, qui colores sunt medicamenti non humorum.

VIII. Maximè dubium etiam mihi videatur, quod populus credit, scilicet gemmis, ut margaritis, fragmentis pretiosis inesse ullam vim cardiacam, quamvis in multis Antidotis reperiantur, ut in pulvere de gemmis, confectione de hyacintho, aliisque nimium multis adsunt *margarita*, *topazius*, *granatus*, *hyacinthus*, *Smaragdus*, *sardius*, *sapphyrus*, *Iaspis*, & similes lapides, quorum vires proorsus sunt ignotæ. In genere cardiacam vim habere creduntur, sic frustrator sunt, sed unicus sufficere potest, si omnes eandem vim habent, si vero diuersam, id est quod ego dico, eam esse ignotam, quâ igitur intentione, cui bono adest hyacinthus, ubi sunt margaritæ, aut hæc ubi ille est? Nam in compositionibus ratio reddi debet, quare hæc & illa, basis medicamenti addantur. Verbi gratiâ in confectione Anacardinâ, quæ prima in Pharmacopœâ libro aperto mihi occurrit, basis sunt Anacardi, unde nomen, quorum virtus attenuans, pituitam incidens augetur additione costi, qastorei, seminis melanthii, virtus flatus discutens

aug-

augetur pipere & baccis lauri , detergens
 saccharo & melle , adduntur cyperus & my-
 robalani ad viscera adstrictione suâ robo-
 randa , & moderandum calorem basis & re-
 liquorum simplicium , butyrum ad lenien-
 dum , inquit Bauderonus , præcipuus Phar-
 macopœæ interpres ; Quæ omnia et si falsa
 sint , cum in hâc confectione , non minus
 piper & castoreum , aut aliud quodlibet pos-
 sit censeri basis , quam Anacardi , ostendit
 tamen rationem esse reddendam quare tam
 varia medicamenta simul misceantur , quæ
 reddi non potest , si omnes gemmæ habent
 eandem vim cardiacam , ut in pulvere de
 gemmis , ubi sunt margaritæ & quinque la-
 pidès pretiosi , quorum quis basis sit , dici
 non potest , nec quare omnes simul , si ha-
 bent eandem virtutem . Si eandem non ha-
 bent , præterquam quod ignota est , urgen-
 tur ratione prædictâ de purgantibus , scili-
 cet tota compositio habet drachmas circi-
 ter 54. lapidum pretiosorum sunt drachmæ
 novem cum semisse , reliquorum simplicium
 sunt drachmæ 45. Ita ut in drachma unâ ,
 quæ magna dosis est , non sit sexta pars lapi-
 dum pretiosorum , scilicet grana decem .
 In quibus continentur sex lapides pretiosi ,
 ita ut singulorum sit granum unum semis
 circiter , aut paulo plus . Si singuli lapides
 habent diversas vires , nullus illorum cā dosi

cam exercere potest. Si habent communem, unus illorum sufficere potuit. Quæ ratio bene pensata examinabit multas Pharmacopoliorum compositiones, & non adeo commendabiles inveniet. Sed redeundo ad gemmas, rectè dubitant Erastus, Matthiolus, aliquique viri doctissimi, an quicquam prodesse possint, cum manifestè nec calefaciant, nec refrigerent, ullave qualitate proficiunt, quæ nobis hactenus experientiâ innotuerit. Tum quia si agere debet medicamentum, dissolvi debet, ut deducatur in actum; At hæc omnia talia excernuntur, qualia ingestâ fuere, nullâ molis & ponderis immunitatione. Exquisitam pulverationem consuunt Pharmacopœæ scriptores, ne gravitate suâ fundum ventriculi petant, illic adhæscant, nec in venas distribuantur, & sic intiles fiant. Quocunque modo præparentur pulvis sunt; quæ autem de eorum viribus recensent Chymici imania plerumque sunt figmenta, sive calcinatur, sive alio modo immutentur, aut in acidis liquoribus solvantur, semper pulvis sunt, sapissimè pejor quam qui solâ tritura fit, qui tamen nullius est virtutis, aut admodum exiguae.

I X. Vana pariter sunt quæ de lapide. Ecce ad partum promovendum quidam scribere auſi sunt, scilicet eum foemori alligatum partum promovere, brachio vero pro-

prohibere. Id etsi Dioscorides scripsit, non tamen verum esse ostendit experientia. Quocunque modo id fieri dicatur attractio- vel expulsione, certum est si centum lapides & titæ uno acervo congerantur, non trahent ad se aut loco suo dimovebunt minimam partem unius pueruli; Dicere virtutem hanc tantum valere quamdiu puer utero continetur, eo exente statim cessare, est nequaquam verisimile. Quare enim si puerum trahit, extra uterum id non faciet? Adde quod nemo hactenus observavit, ad quam partem fœtus præcipue hæc attractio referri debeat, cum enim constet carnibus, ossibus, membranis, non æquali virtute partes tam dissimilis naturæ allicet, sed unam præcipue, reliquum corpus per aliud, propter omnium inter se aptam coaptationem, & nexus. Sed rationibus ubi experientia deest, non est ulterius agendum. Dicer quispiam observatum fuisse, apposito hoc lapide facilem partum fuisse. Verum tamen absque hoc etiam facilis fuisset, & sæpe illo præsente non minus difficultem fuisse scio, & sæpius. Non sequitur si me scribeante pluit, scriptionem meam esse causam pluviaz, sic neque si præsente lapide mulier quædam peperit, lapidem partus causam fuisse. Dicere aut matrem aut fœtum à lapide roborari, est etiam prorsus

A a 3 inanc,

558 DE VULGARI ERRORIBUS
inane, unde enim cognitum id fuit, tum
quoque roborantia reliqua, quæ plurima
sunt & certiora idem præstarent; sic iniuti-
lis ille lapis quoconque se quispiam verat,
evadet.

X. Miratus sum saepe quantâ confiden-
tia multi remedia laudent, quæ secretâ
proprietate, Epilepsiam inhibere, atque
etiam depellere creduntur, ut semen pæ-
oniæ collo subnexum, & ungulam alces vel
appensam, vel annulo inclusam; Addunt
alii ungulam & calvariam asini, quod re-
medium didicisse se in Hispaniâ Alexander
Trallianus testatur, & miris laudibus ex-
tollit, pari cum vanitate. Rectè pæoniam
collo appensam irrident, *Mambolus*, *Era-
stus*, *Montanus*, *Mercurialis*, qui nullam
ex appensione pæoniæ vim & utilitatem se
vidisse afferunt, sicut neque etiam ego ul-
lam vidi; Et quidam cum laudatum hoc
remedium viderent à Galeno, nec rei fidem
faceret experientia, dixerunt nos pæoniâ
mare carere, quod est merum effugium. Et
reverâ periaptis non est magna fides adhi-
benda, cum causam morbificam nec depel-
lant, nec alterent. Quare enim reliquis
morbis à simili causâ profectis non opitula-
rentur? Credere autem morbum ullum aut
symptoma, sine causæ morbificæ immuta-
tione, aut evanescione curai absurdum est,

SCMCE-

remedia enim omnia non morbis ut morbi sunt, sed cautis adversantur, & quamvis id facerent, nunquam tamen manente causæ efficaciâ curarent. Ista operatio suspecta est, maximè cum pœniam decrecente Lunâ, mense Julio, Sole existente in Leone, in meridie, solari die colligendam velint. Et quamvis intrinsecus sumpta calefaciendo & potissimum exsiccando, non solum Epilepsia, sed & aliis morbis opitulari possit, id tamen appensam præstare non facile credendum est. *Vngula alces* superstitionis aliquid habet, quod animal Epilepsia obnoxium ferunt, quâ cum corripitur ungulam dicunt capiti admoveere, & inde levare, unde eandem ungulam voluntutissimum esse Epilepsia remedium, si aut naribus olfacienda admoveatur, aut de collo suspendatur, solamque sinistri pedis ungulam posteriorem, ex vivo animali decrescente Lunâ excisam eligunt, alias esse inutiles. Qui delectus videtur esse superstiosus, cum tanta non soleat esse inter ungulas ejusdem animalis differentia, unde verum istius rei exemplum desiderant multi, atque etiam ego saepius facto experimento nullum vidi; Insignis Medicus, quo doctiorem non habuit seculum hoc, Ludovicus Duretus, vidit mulierem quæ integrum alces pedem continuò olfaciebat abs-

que ullo levamine. Si vera hæc est de Alce Historia, vel ingruente Epilepsia paroxysmo, (qui solet tamen inopinantes aggredi) admoveat capiti ungulam, sic illum prohibet ne accedat, & sic nunquam eo corripetur; vel in ipso paroxysmo, at id prorsus est impossibile, quia in Paroxysmo interceptæ sunt sensuum omnium functiones, & animal subitè concidit. Paroxysmo soluto inutile prorsus est, quæ ratio me cogit, ut meram esse fabulam id credam. Unde non minorem vim ungulæ asini & calvariae attribuit Trallianus, qui alcem ignorabat. Interna verò remedia quod spectat, etsi Epilepsia prodesse possint, in iis tamen superstitione magna esse solet, ut quod ossa cligan-
tur craniī humani potius quam aliarum partium, ut tibiarum, Maris quoque si vir, fœminæ si fœmina laboret. Vanæ sunt istæ observations, Galenus X. Simplic. ossa humana sine hoc delectu exsiccata probat, non minus tibiae, quam capitis, non quod ullâ proprietate occultâ valeant, sed quia digerentem exsiccantemque vim habeant. Idem sentiendum de castoreo, rutâ, scyllâ, boribus tiliæ, & similibus quæ non substantiæ proprietate, sed aliâ vi non solum huic, sed & aliis morbis, à simili causâ oriundis opem ferunt.

Par



Pari ratione rejicienda sunt varia ejusmodi remedia falsa & mendacia quæ ad variis morbos, ut ad febres quartanas, pestem, veneficia, fascinum, colicum dolorem, à quibusdam præscribuntur, quibus tamen si populus valdè confidat, modo innoxia sint, ex vi imaginationis prodeesse poterunt, & sic concedenda esse Matthiolum, aliquique sentiunt;

F I N I S.



ROTERODAMI,

Ex Officina ARNOLDI LEERS.

M. DC. LVIII.
